LAETABILIA

AUGUSTISSIMI ET CLEMENTISSIMI PRINCIPIS

FRIDERICI VI

FESTA NATALITIA

SOLENNI ORATIONE

IN

AUDITORIO MAIORE

HOR. XII DIE XXVIII IAN. MDCCCXXXII

CELEBRANDA

NOMINE RECTORIS ET SENATUS

ACADEMIAE KILIENSIS

RELIGIOSE INDICIT

D. A. G. CRAMER

ICTUS ET ANTECESSOR.

INEST: *AD GELLIUM EXCURSUS QUARTUS.*

KILIAE.

EX OFFICINA CHRIST. FRID. MOHR.

Quum, elapsis abhinc quatuor annis, ferias natalitias CAESARIS optimi,

quo iustior alter,
Nec pietate fuit maior, nec mitior alter,

condicere, eique edicto ex more maiorum scriptione aliqua praeludere iussus eram; huic negotio, prout vires erant, remissiore stilo satisfeci, proscripto in A. Gellii Noctes Atticas observationum variarum ternione. Consuetudine enim usuque longaevo firmatum acceperamus, huiusmodi libellis non inique proponi argumenta petita ex erudita Antiquitate, quacum aut olim, quicumque ad docti hominis nomen adspirant, consuetudinem sese aluisse profiteantur, aut etiam dum usum sibi domesticum intercedere palam pronuncient, Gellium autem merito tanquam condum promum interioris eruditionis censeri posse. Cuius auctoris Noctes Atticas, etiam qui eas temperantissime parcissimeque laudarunt,[1] ultro tamen confessi sunt, tot tantaque ex omni Graecorum et Romanorum collecta priscarum me-

[1] In quorum numero praeter Lud. Vivem paucosque alios, nostra patrumque memoria praecipui fuerunt Abr. Wielingius, in *Diatr. de furto per lancem et licium concepto*, Dav. Ruhnkenius, *Praef. in Apuleii Metamorph.* et Fr. Roth, libello *de re municip. Rom. p.* 5. *n.* 3.

moriarum residua continere, quot quantaque vix alius quisquam e priscis scriptoribus, praesertim tam exiguo libelli ambitu praestiterit, sineque eo futurum fuisse, ut, praeter multorum scriptorum reliquias, plurimarum quoque historiarum, legum, rituum, verborumque solemnium memoriae penitus interciderent, aliarum autem rerum, ab aliis auctoribus non nisi summo digito demonstratarum cognitionem plane imperfectam obscuratamque teneremus. Quare, cum intelligeremus istis tergeminis tum emissis fata non adeo iniqua cessisse, oblata denuo provincia, recurrentia Augustissimi Principis Genethliaca felicissima concipiendi, nihil prohibere visum est, vetus argumentum rursum in tela deducere et pro tergeminis iam quadrigeminos publico favori commendare. Inter vero tot Gellii locos, qui iustam scribendi materiam praestare possint, nunc quidem elegi libri I. cap. XII. de Vestalibus perscriptum. Quo de argumento, quod reliqui scriptores veteres non nisi per occasionem et veluti in transcursu attigerunt, Noster autem data opera et de industria tractavit, quum praeterita hieme inter aliquot disciplinae iuris et philologiae studiosos sermones caederemus, deque eo Auli capite paullo enucleatius disputaremus, in plurimis quidem ab eo prolatis aliorum virorum doctorum industria adiutos nos sensimus, in nonnullis autem incerti haesimus, in paucis etiam, quod tamen praefiscine dixerim, caeteris adeo acutius nos vidisse opinati sumus

Quae res me impulit, ut, missis quae ab aliis, Lipsio [2] inprimis, fidissimo antiquitatis Romanae sospitatore, satis iam explorata fuerunt, tum intra privatos parietes declamata nunc in lucem publicam proferrem, sive illectus ipsius scriptoris amore, quem ab ineunte aetate pulpiti custodem peregrinationumque comitem habueram, sive φιλαυτίᾳ quadam, credo, non inhonesta, ne mecum, senio iamiam tardigenulo, perirent, in quibus qualem qualem operam haud infeliciter consumpsisse rebar, sive denique, ut, quod in proverbio est, ubi aqua haereret, iudicia doctiorum me longe hominum experirer, quorum, quae est in hoc articulo temporum nostrorum felicitas, in caetera eorundem infelicitate, vel una Germania nostra feracior est, quam reliquae regiones omnes.

Ut autem, quae dicenda habui, ordine procederent, neque inspiciendo ubique Gellii libro lectori mora fieret, placuit verba eius incise membratimque, perque numeros distincta proponere, idque pronti hodie leguntur post industriam Gronoviorum, Patris quidem Joannis Friderici, in prisca litteratura undequaque non peritissimi modo, sed etiam lucidissimi candidissimique ingenii, tum et filii Jacobi, fortasse non multo minoris eruditionis, sed maioris audaciae et obscurae plerumque diligentiae infestique in quoscunque aliter

[2] In luculento, de Vesta et Vestalibus Syntagmate, *Opp.* (Vesaliae 1670 editor.) *T. III. p.* 1073 *sqq.*

sentientes animi. Igitur praetermisso capitis argumento, in quo, perlecto ipso capite, nihil est quod interpretatione egeat, prodeat iam membrum

I.

„Qui de Vestali virgine capienda scripserunt, quorum „diligentissime scripsit Labeo Antistius, minorem quam „annos VI, maiorem quam annos X natam, negaverunt „capi fas esse."

Leviculum est quod monuerunt interpretes hic, delendam videri vocem *Vestali*, quae et a membranis absit et a nonnullis vetustis editionibus,[3] abesse autem iure possit, tum quod in lemmate praefixo, quod cum Henr. Stephano quidam Gellii esse immerito negarunt, *Vestae* nomen occurrat, tum quod ipse aliquoties *Virginis* nomen pro sacrata praecise ponat, idque ab aliis quoque scriptoribus

[3] Quod de Mss. Codd. monuerunt alii, firmare licet ex inspectione membranarum Gellianarum, quas servat bibliotheca Regis nostri Hafniensis opulentissima, a quibus itidem Vestalis nomen abest. Sunt quidem illae membranae nitide scriptae, non tamen valde antiquae, et nisi me litterarum scriptura fallit, pars olim praedae e Corvini Regis bibliotheca, attamen ex antiquissimis optimae notae profectae, cuius rei testimonium mirabili prorsus modo exinde patet, quod, qui illum Cod. recognovit, nescio quis infelix grammaticus, in locum optimarum, sed paulo difficiliorum lectionum, rasura facta, substituerit plerumque vulgarem faciliorem aut adeo ineptam. Praeter hunc Cod. diligenter etiam contuli, quae ad manus erant ex Edd. antiquis, binas Venetas a. 1509 et 1517. Argentinensem a. 1517. Parisiensem et Basileensem a. 1519, denique et Coloniensem a. 1526, e quibus priores duo Vestalis voce carent.

factitatum teneamus,[4] tum denique quod verbum *capere*, Vestae sacerdotibus quodammodo mancipatum, de quibus virginibus sermo sit, dubitationi locum non relinquat. Sint haec, prout quisque malit. Mihi aliud molestum est et scrupulum iniicit, ad quem nondum quemquam offendisse mirari licet. Is autem latet in praecisa enumeratione annorum *sexti* et *decimi*, intra quos solum Virginem capi potuisse fas fuerit. Et *sexti* quidem praeterea apud Sozomenum [5] mentio exstat, *decimi* apud neminem. Nam quem praeterea laudare solent, Suetonius [6] non nisi generaliter aetatem narrat. Etenim de Augusto, Pontifice tum maximo, referens, *quum*, ait, *in demortuae locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem daret, adiuravit, si cuiusquam neptium suarum competeret aetas, oblaturum se fuisse eam.* Nec minus generaliter de competente et legitima aetate sermonem instituit Prudentius,[7] his verbis in lite cum Symmacho usus:

Ac primum parvae teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriae quam libera secta,
Laude pudicitiae fervens et amore deorum,
Iusta maritandi condemnet vincula sexus,
Captivus pudor ingratis addicitur aris,

ipsorum annorum, quasi satis cognitorum, plane securus. Quod autem, ut dixi, in illis a Gellio scriptis Virginum annis offendam, eius rei hanc habui causam, quod, quantum memoria repeto, apud

[4] Monuit Anon. in *Misc. Obss. Bat. IV*, 431. et Cortius ad *Plin. Epp. VII*, 19.

[5] *Hist. Eccles.* 1, 9.

[6] in *Aug.* c. 31.

[7] in *Symmach.* 11, *vs.* 1065 *sqq.*

nullam gentem sive sextus sive decimus aetatis annus ita existimatus fuerit, ut is in aliqua re, sive publica, sive privata, momentum aliquod facere posse videretur, neque causa ulla expromi possit, cur in his sacerdotibus isti anni exquirerentur, qui tamen in caeteris hominibus ad caussam nullam pertinerent. Quare in hanc suspicionem veni, errore magis librariorum, quam Gellii, factum esse, ut iam *sextum* pro *septimo*, et *decimum* pro *duodecimo* habeamus. Quis enim nescit, septimo aetatis anno infantiam claudi, duodecimo in feminis impubertatem; qui termini, etsi libera republica nondum certis legibus definiti fortasse fuerint, tamen usu et consuetudine dudum invaluisse videntur. Quibus ita positis, satis constat cur infantes noluerint capi, utpote quae aut prorsus non, aut saltem nondum satis distincte fari sensaque animi explicare posse viderentur, adeoque plane ad subeunda vel minima reipublicae munia inhabiles. Quae vero duodecimum egressa est annum virguncula, ea iam nubilis facta et virum cogitare solita credebatur, unde eleganter Horatio [8] *tempestiva* audit, et, quod iam virum pati possit, Iurisconsultis nostris *viripotens* dicitur. Vestae autem sacerdotium integram, illibatam nullique suspicioni obnoxiam virginitatem sibi poscere visum est,

Iure etenim Virgo est, quae semina nulla remittit
Nec capit, et comites virginitatis amat, [9]

et quae vere Virgines, Diis inprimis carae antiquis creditae et boni

[8] *Carm.* I, 23. et Gellio quoque, *VI.* 8.

[9] Ovid. *Fastor. VI.* 295.

ominis causam in se habere.[10] Neque igitur aptae habitae sunt feminae, nisi *quae adhuc rudes essent et edentulae*, quaeque *coeperint erubescere et scire quid taceant, dubitare quid dicant*, ceu festivissime habetur apud D. Hieronymum,[11] cuius qui Epistolarum libellum non legit, nae is magnam eloquentiae iacturam se fecisse sciat. Reiecta igitur est virgo omnis, *quae se intelligere coepit et sensum naturae suae intrare, et de virginis exire, et pati novum illud, quod alterius aetatis est, cuius iam vox obsolefacta et membra completa sunt, et pudor ubique vestitur, et menses tributa dependunt*, quae verba sunt alterius Ecclesiae doctoris,[12] non nimium fortasse casta, at sui tamen ingenii. Quot autem in numeris errores a librariis admissi fuerint, trita res est, praesertim sicubi non per seriem litterarum, sed siglis adhibitis perscripti fuerunt, quod hoc loco in Gellii Codd. factum fuisse testantur praeter Hafniensem

[10] Eorsum traho locum Cicer. *de ll.* II, 12 satis vexatum, varieque emendatum et explicatum. Eum, ne longior sim, sic legendum existimo: *Quumque Vesta, quasi focum Urbis . . . complexa sit: ei colendae virgines praesint, ut advigiletur felicius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres in natura feminarum omnem castitatem peti*, hac sententia: in sacerdotium Vestae a Romanis non nisi virgines sumtas, idque his causis, quo et felicius Deaeque gratius hoc ministerium peragatur, et ut mulieres sentiant, in natura feminarum inque earum virtutibus et qualitatibus, virginitatem omnem h. e. omnibus numeris absolutam, expeti ac desiderari. Quod enim non animadverterunt interpretes, comparat Tullius his verbis in Vestae cultu mores Romanorum et Graecorum, quorum illi non nisi virgines omni suspicione vacuas duplici ex causa adhibendas existimarint, cum Graeci viduas etiam admiserint, nihil in iis pudicitiae iam prostratae veriti detrimentum. Nihil autem mutavi, nisi ut *felicius* scriberem, pro *facilius*, quod ieiunum est; reliqua e Codd. et Edd. antiquis servavi.

[11] *Epp. II*, 16. ex edit. Colon. 1586, 8. nam in aliis aliter collocatur.

[12] Tertullian. *de Virgin. veland. c.* 11 in cuius verbis cum Latinio *dependunt* rescripsi, pro vulg. *defendunt.*

editi omnes et editorum, qui Mss. usi sunt, silentium. Quod autem in istis siglis consentiunt libri omnes, non est quod me turbet, qui pro certo habeam, quotquot eorum ad nostram aetatem pervenerunt, eos omnes ab uno aliquo codice, tanquam communi fonte dimanasse, idque factum esse, nisi in toto corpore Gelliano, certe tamen quod ad decem priores libros Noctium Atticarum. Quod hactenus ab editoribus non animadversum, si Deus vitam dederit et occasio tulerit, liquido me demonstraturum confido.

II.

„Item quae non sit patrima et matrima."

Qui haec verba ita explicant, vulgo autem id fieri solet, ut dicant, Vestalem capi non potuisse nisi cuius uterque parens adhuc in vivis esset, recte id quidem dicunt, fortasse etiam satis ad huius loci intellectum. Sed si quis diligentius in horum vocabulorum vim usumque inquisiverit, vereor ne illi accidat, quod Tullio[12*] accidisse legimus, disputanti de nominis gentilium et hereditatis vera significatione perfectaque definitione. Ecce enim, si, quod non negamus, verum est, patrimos matrimosque dici, quorum uterque parens superstes est, quaeri adhuc potest utrum omnes omnino, quibus hoc a natura beneficium contigit, cuiuscunque demum, sive aetatis, sive conditionis sint, ea adpellatione fruantur, an aliqui tantum et certae aetatis certaeque conditionis? Deinde, cum apud

[12*] *Topic. c.* 6.

Graecos Romanosque vocabula reperiamus, quibus istiusmodi qualitatis homines designantur, quasi τεχνικά, apud illos quidem ἀμφιθαλῶν nomen, apud hos patrimorum et matrimorum, reliquae vero linguae, antiquae, recentiores, similibus careant, nescio an obscurae curiositatis sit, si quis sciscitetur, quae tandem eius rei causa sit atque ratio? aut quando in antiquorum scriptis repererit ista patrim. et matrim. vocabula ubique coniunctim poni, in id quoque inquirere, num aeque bene latine discerpi et disiunctim adhiberi queant, ut patrimo significetur, cui pater solus, matrimo, cui non nisi mater supersit, adeoque ex more Rom. locutus tibi videare, si cui narraveris, patrimum Sempronium, uxorem nuper duxisse patrimam Caiam, aut contra? quod, nescio, an ulli e recentioribus visum non sit. Quae et alia nonnulla momenta, quae mox tacturi sumus, quo clariori luce perfundi possint, lectorumque molestiae parcamus, age, uno veluti obtutu praemittamus ex universa antiquitate loca omnia, in quibus disertis verbis patr. et matr. mentio occurrit, studiose undique collecta et disposita, prout aetatis scriptorum ratio postulare videbatur. Sunt autem haec fere, neque enim existimo alia suppetere praeterea:

a. Cicero: [13] *Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patr. et matr. si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit, ludi non sunt rite facti.*

Verba haec auctoris libelli de Haruspicum Responsis, quem Quintilianus quidem et Arnobius Ciceronem esse existimarunt, nostri

[13] *de Harusp. resp. c. II.*

homines impudentissimum nescio quem falsarium, remotae tamen aetatis, unde et primo loco posui. Quorum quidquid sit, nobis nunc sufficit, in publicae laetitiae pompa hic spectari patr. et matr. quae pompa et ipsa inter sacra refertur. Quid sit, *terram tenere*, docuere interpretes, qui iidem, quid sit *lorum omittere*, ostendere poterant e Virgilii his:

pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent,[14]

quibus verbis ipsi quoque patr. et matr. indicantur.

b. Livius:[15] *Supplicatio earum religionum causa fuit. Quibus Diis, decemviri ex libris, ut fieret, ediderunt. Decem virgines, patr. omnes matrimique, ad id sacrificium adhibiti.*

Ita locum ab interpunctione etiam num laborantem, distingnendum putavimus. De re sacra sermonem esse, deque prodigiis procurandis infaustisque ominibus avertendis, vel supplicationis verbum ostendit.

c. Tacitus:[16] *Ingressi milites quis fausta nomina, felicibus ramis, dein Virgines Vestales cum pueris puellisque patr. matrimisque, aqua vivis e fontibus hausta, perluere.*

De caerimoniis in Capitolio restituendo observatis narrat, et quid actum fuerit, ut ea res ex faustis ominibus procederet. Erant autem caerimoniae illae et ipsae sacrorum publicorum particula.

d. Vopiscus:[17] *Agite igitur Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque sacris commodi; templum*

---

[14] *Aen. II*, 238 *sq.*

[15] *Hist. XXXVII*, 3.

[16] *Hist. IV*, 20.

[17] in *Aureliano c.* 19.

ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros evolvite, fata Reipublicae, quae sunt aeterna, perquirite, patr. matrimisque pueris carmen indicite. Nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos agris ambarvalia indicemus.

Insignita haec verba ex oratione Senatoris Rom. transscripta sunt, cum in Curia de supplicatione instituenda ageretur imminente bello Marcomannorum, hoc consilio, ut, quemadmodum in superiore exemplo, mala omina averruncarentur, fausta impetrarentur. In quibus tamen, antequam ad alios testes properamus, tantisper morari placet. Video enim Salmasium, quem nemo negabit Historiae Augustae scriptorum sospitatorem cluere, in iis fluctus nescio quos excitasse, confidentia auctoritatis suae magis, quam bonae causae, alia autem pressisse, quae sine monitore vix praetermittenda erant. Et principio quidem, cum *veteranas manus* Casaubonus[18] satis prudenter, senio confectas, interpretatus esset, indeque venerabiles, quod a senioribus e Pontificum collegio libri Sibyllini inprimis evolutos credibile sit, contradixit Salmasius, et qua fuit ingenii fiducia, *velatas* substituit, causatus, moris fuisse, ut in supplicationibus Pontifices manus velo obtegerent. At vero eius ritus tantum abest, ut ex vetustate certum aliquod testimonium afferri possit, ut eius modi chirothecarum, ita enim iam peregrina voce appellare solemus, ne vocabulum quidem in omni sermone latino suppetat. Neque enim quod ad Plautum nos remittit, apud quem manifestis verbis occurrant *velatis manibus orantes*,[19] eiusmodi est, ut propterea vadimonium deseramus.

---

[18] Casaub. ad *Athen. XII*, 2.

[19] in *Amphitr. I*, 1, 101.

Plauto enim de acie victis sermo est, quorum principes flentes dicuntur venisse velatisque manibus veniam orantes, quorum verborum nihil est quod ad ritus in sacris observari solitos attineat. Fugiebat scilicet doctissimum illud mortalium caput, *velatas* ibi manus esse, in quibus more supplicum infulas gestarint et velamenta, quaeque sunt alia irae victorum placamenta. Ignorabat, si Dis placet, incredibilis memoriae vir, Viennenses apud Tacitum[20] *velamenta et infulas* praeferentes, ut animos militum flecterent, aut apud Livium,[21] *ramos oleae ac velamenta alia supplicum*, et quae sunt eiusmodi aliorum in re simili testimonia, quorum aliqua dedit Ernestius,[22] et poterat plura. Invenit tamen Salmasius propugnatorem et chirothecarum defensorem in Gallaeo,[22*] cuius vero qui argumenta trutinaverit, non magis ad rem facere intelliget, quam locum illum Plautinum. Non autem in eo substitit Salmasius, sed ultima verba haec Senatoris: *patrimis matrimisque pueris carmen indicite; nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos agris Ambarvalia indicemus*, tanquam futile impostoris additamentum, prorsus eliminavit. Absunt, ait, a Cod. Palatino et ab editione principe Mediolanensi a. **1475**, addo, et a Veneta a. **1490**. Esto. Nonne magis simile vero videri debet, excidisse in uno aliquo codice oscitantia librarii, quam intrusa esse, quae supra captum huiusmodi hominum docta sunt? Atquin pergit, nec docta sunt. Quid enim est *carmen indicere pueris?* quid *sumtum indicere sacris?* quid

---

[20] *Histor. I,* 66.

[21] *Histor. XXIV.* 30.

[22] ad Tac. *Hist.* 1, 63.

[22*] *de Sybillis earumque Oraculis. c.* 16.

denique *aris indicere ambarvalia?* et cur ambarvalium tantum meminit, non et *amburvii*, quod tamen postea celebratum, *ambarvale* tantum promissum est? In quibus me non tam Salmasium audire sentio, quam malae causae malum patronum. Quid enim, si a Salmasio quaerere vellemus, quid sit *ferias*, aut *supplicationes indicere*, aut *bellum*, quae quavis pagina apud Veteres occurrunt? aut quid apud Maronem,[23] *honorem templis indicere?* Nae ego vereor, ne nos ad ludum et puerorum subsellia remittat. Neque porro, quod ad *ambarvalia* attinet, voto Senatoris comprehensa, Salmasius nobis docendus est, in communi deliberatione saepe ab uno proponi, quae mox plurium arbitratu aut reiiciuntur, aut inumbrantur. Quare stet lectio vulgaris, reliquorum Codd. et Edd. auctoritate et constantia, ipsa denique rei opportunitate et habilitate satis corroborata. Sunt tamen alia quaedam in Vopisci verbis, quae, nisi valde fallor, poterant Salmasianae libidini in sollicitandis verbis satisfacere. Equidem quid sibi velint isti Pontifices, *qua vestitu, qua animis sacris commodi*, non satis percipio, quae, interpunctione unaque litterula sic mutata: *Agite Pontifices qua vestitu animisque sacri. Commode templum ascendite*, rel. bene procedere videntur. *Commode* inquit, i. e. εὐκαίρως et suo tempore; qua in mutatione defendor pro parte ab Aldina Ed. in qua, post *sacris*, periodus clauditur, et nova a voce *Commodi* incipit, quasi de huius Imperatoris templo aliquo sermo sit, quod est nauci. Praeterea non minus haereo in his: *fata reipublicae quae sunt aeterna perquirite.*

---

[23] *Aen.* 1, 632.

Quodsi enim fata reip. sunt aeterna et mutari nescia, cui bono tunc supplicationes caeteraeque religiones? Scripserit Vopiscus *fata reip. quae sint aeternae perquirite.* Nihil enim frequentius in numis reliquisque monumentis priscis, quin adeo in ipsis Legibus,[24] quam haec *aeternae* urbis reipublicaeque commemoratio, ut vel municipia istam appellationem sibi ultro arrogaverint.[25] Sed pergamus in patrim. et matr. testibus.

e. LAMPRIDIUS:[26] *Caedit et humanas hostias, lectis ad hoc pueris nobilibus et decoris per omnem Italiam, patrimis et matrimis; credo ut maior esset utrique parenti dolor.*

f. FESTUS: *Flaminia dicebatur saeerdotula, quae Flaminicae Diali praeministrabat, eaque patrimes et matrimes erat, id est, patrem matremque adhuc vivos habebat.*

g. IDEM: *Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus patrimes et matrimes, qui Flamini Diali ad sacrificia praeministrabat. Antiqui enim ministros Camillos dicebant.*

h. IDEM: *Patrimi et matrimi pueri praetextati tres nubentem deducunt: unus qui facem praefert, ex spina alba, quia noctu nubebant, duo, qui tenent nubentem.*

i. IDEM: *Ricam alii dicunt pallium esse triplex, quod conficiant virgines ingenuae patrimae et matrimae.*

---

[24] *L.* 11. *C. Th. de oper. publ. L.* 10. *C. Iust. de metatis.*

[25] Exempla congessit Viscontius in *Monumenti Gabini della villa Pinciana, p.* 84 *et* 94.

[26] In *Heliogub. c. VI.*

In quibus Festi verbis, quod ter *patrimes* et *matrimes* vocavit, quos alii *patrimos matrimosque* appellant, vulgo imputant tanquam proprium sacrae Pontificum linguae. Sed et alia vocabula secundae declinationis ad tertiae normam invenimus. Itaque *sacres porci* apud Plautum habentur et Varronem.

k. JUL. OBSEQENS : [27] *Supplicatio per decem pueros patrimos matrimos totidemque virgines habita.*

l. IDEM : [28] *Ex Sibyllinis in insula Cimolia sacrificatum per triginta ingenuos, patrimos et matrimos, totidemque virgines.*

Quod ibi priore loco sine copula *patrimi matrimi* leguntur, praeferendum adeo visum est Scheffero et Oudendorpio, quod non putem. Defendi tamen potest aliorum exemplorum copia nude positorum, veluti usus fructus, rutorum caesorum, sartorum tectorum, emtionis venditionis, locationis conductionis, quae in vulgus nota sunt. Addo ex iuris libris munus donum,[29] actionem petitionem,[30] placitum consensum.[31] Idem in praede litis vindiciarum apud Ciceronem[32] nuper observarunt Savinius[33] et Du Roi[34] VV. Cl. Cl. cuius loco nunc apud Gaium[35] quater habemus litem et vindicias, quibus, ni fallor, comparare quimus, defensionem et vindiciam (sic lego, non vindicium, quod nihili est) in vetustissimo marmore Prae-

[27] *de prodigiis, cap.* 54.

[28] *ibid. cap.* 100.

[29] *L.* 18. *de Offic. Praes.*

[30] *L. ult. de term. moto.*

[31] *L.* 1. § 2. *de pactis.*

[32] *Verr.* 1, 45.

[33] *Recht des Besitzes,* Ed. noviss. p. 460.

[34] doctissima commentat. quae habetur in: *Archiv für die civil. Praxis.* T. VI. p. 261.

[35] *Instit. VI.* §. 16, 91 *et* 94.

nestino.[36] Nec tamen damnaverim, quae Asconio est, litem vindiciarum, quam paullum converso sensu dixit, sicuti Papinianus[37] litem inofficiosi et alibi[38] litem proprietatis.

m. Arnobius:[39] *in caerimoniis vestris rebusque divinis, postulionibus locus est et piaculis. Dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum, aut in verbo quispiam, aut sympuvio deerrarit, aut si cursu in solennibus ludis curriculisque divinis. Commissum omnes statim in religiones clamatis, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut si patrimus, (et matrimus) qui vocatur, puer, omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.*

Adscripsi integrum locum, ut leviter corrigerem et ab interpunctione iuvarem. Vulgo est: *piaculi dic. contr. esse com.* uno tenore, et rursus: *divinis, commissum omnes.*

n. Servius:[40] *Nuptiae fiebant farre, cum per Pontificem Max. et Dialem Flaminem, per fruges et molam salsam coniungebantur; unde Confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur.*

Ita habet Codex Servianus P. Danielis, quem is primum Paris. a. 1600 edidit, ingenti lucro doctrinarum. Idem tamen scholion ex iisdem schedis iam a. 1573 in lucem produxerat P. Pithoeus.[41]

---

[36] apud Fogginium in: *Fastor. Verrii Flacci Reliquiis, Praef. p. VII.*

[37] *L. 6. de collat. dot.*

[38] *L. 33. de Usufr.* adde Ulpian. *l. 33. de dolo malo.*

[39] *Adv. Gentes, IV,* 31.

[40] ad Virg. *Georg.* 1, 32.

[41] in *Comment. ad Mos. et Rom. LL. Collat. tit. XVI.*

Atque ex eo tempore notioni patr. et matr. addi coepit, non sufficere, ut eiusmodi pueri parentes habeant superstites, sed ut nati sint ex farreatis nuptiis, qua de re ante nemo somniaverat.

o. Idem: [42] *More Romano, patrimi et matrimi.*

Haec ille ad illustranda Poetae: *Pueri innuptaeque puellae Sacra canunt*, quibus Maro pompam describit, qua equus Troianus in urbem invectus fuit, magis Romanorum, quam Graecorum mores imitatus.

p. Macrobius: [43] *M. Laelius Augur refert, bello Punico secundo duumviros ex SCto propter multa prodigia libros Sibyllinos adisse, et inspectis his nunciasse, in Capitolio supplicandum lectisterniumque ex collata stipe faciundum, ita, ut libertinae quoque, quae longa veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Acta igitur obsecratio est, pueris ingenuis, itemque libertinis, sed et virginibus patrimis matrimisque pronunciantibus carmen. Ex quo concessum, ut libertinorum quoque filii, qui ex iusta dumtaxat matrefamilias nati fuissent, togam praetextam, et lorum in collo, pro bullae decore gestarent.*

Quis Laelius ille Augur fuerit, quidve scripserit ignoro; adeoque eius memoria obscura est, ut vel eorum diligentiam effugerit, qui auctorum a Macrobio laudatorum indicem contexuerunt, itemque eorum qui fragmenta veterum scriptorum historica collegerunt. Praeter quam autem hos quindecim locos, nullum alium exstare autumo in priscis auctoribus, in quo patrim. et matrim. nomina apertis verbis

[42] ad *Aen II*, 238.

[43] *Saturnal. I*, 6.

prodita sint. In numis porro antiquis occurrere vix crediderim, neque in lapidibus compertum habeo, nisi in tribus ad Fratres Arvales spectantes, [44] quorum, qui integrior copiosiorque caeteris est, haec habet :

q. ... AD. PERAGENDVM. SACRIFICIVM PER. FRATRES. ARVALES. EPVLANTES. ET. FRVGIBVS. MINISTRANTIBVS. PVERIS. INGENVIS. PATREMIS. ET MATRIMIS. SENATORVM. FILIIS ......

Ne vero ex quo huic rei lumen accendi possit, suppressisse quidquam videar, e Graecis quoque scriptoribus, quoad illi res Romanorum attigerunt, quodcunque eo pertinere visum est, simul hic repraesentabimus. Sunt autem fere haec :

r. Dionys. Halicarn : [45] Ἐπεὶ δὲ καὶ διὰ γυναικῶν ἔδει τινὰ ἱερὰ τελεῖσθαι, καὶ διὰ παίδων ἀμφιθαλῶν ἕτερα ... τὰς γυναῖκας τῶν ἱερέων ἔταξε τοῖς ἑαυτῶν ἄνδρασι συνιερεῖσθαι, ... καὶ παῖδας αὐτῶν τὰ καθήκοντα λειτουργεῖν.

De Romuli institutis agens, hoc relatum reliquit generale de sacerdotibus praeceptum, mox idem specialiter, ad Salios referens his verbis : ἐχρῆν δε αὐτους ἐλευθέρους τε εἶναι, καὶ αὐθιγενεῖς καὶ ἀμφιθαλεῖς.

s. Dio Cassius, [46] de Caligula : Ἐκ δὲ τούτου τὸ ἡρῷον τοῦ Αὐγούστου ὡσίωσε, τὴν ἐπινίκων στολὴν ἐνδύς· καὶ οἵ τε εὐγενέστατοι παῖδες, ὅσοι γε καὶ ἀμφιθαλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ᾖσαν.

---

[44] Ap. Marinium in : *Gli Atti e Monumenti de Fratelli Arvali, T. II. Tab. XXIII, XXXII et XL.*

[45] *Antiquitat. II*, 22.

[46] *Histor. LIX*, 7.

t. Zosimus:[47] Ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ, ἐν τῷ κατὰ τὸν παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων, οἱ πάντες ἀμφιθαλεῖς, ὅπερ ἐστιν, ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, ὕμνους ᾄδουσι.

Ita ille, nobilissimo illo loco, quo ludos seculares imperante Philippo celebratos mira industria descripsit, et fere similia ex ipsis Sibyllae oraculis petita attulit. De quo amplius non dicerem, nisi vindicanda esse dexteritas interpretis Zosimi videretur ab iniuria non incelebris Angli. Verba: τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, verterat Leonclavius: *qui ambos parentes adhuc superstites habent*, neque profecto poterat aliter. Attamen Chishullus[48] calumniatur περιόντας male acceptos esse pro superstitibus, unde et vera vocis intentio et instituti lex ipsa violata sit, et περιόντας prorsus eosdem esse qui alibi εὖ γεγονότες audiant, et apud Horatium claris patribus orti. Quo, an quidquam perversius dici possit ad definitionem τῶν ἀμφιθαλῶν, equidem nescio. Praeterea, quos ille in his tantopere desiderat, pueros nobiles, non semel, sed bis desiderat: praecesserant enim παῖδες ἐπιφανεῖς, quemadmodum paullo ante γυναῖκες ἐπίσημοι.

Quibus ita quasi in unum acervum ex omni prisca aetate congestis, de patrim. et matrim. appellatione, testimoniis, quid inde consecuti simus, apertius dicendum est. Atque ut de grammatica ratione initium capiamus, illud primum patere putamus, contra linguae latinae genium esse usumque nomina ista divellere, atque, haud

[47] *Histor. II*, 5 et 6.

[48] in *Antiquitt. Asiat. p.* 163.

coniuncta altera voce, una earum tantum uti, quasi patrimus dici possit separatim, cui pater quidem superstes, mater autem mortua sit, matrimus autem, cui mater vivat, pater fatis functus sit, id quod tamen nostri homines ad unum omnes hactenus statuerunt. Nunquam ita veteres, qui semper simul coniuncteque extulerunt istas voces, sive interiecta copula, sive ea detracta. Neque ab hac opinione dimoveri nos patimur auctoritate *Festi*, apud quem mentionem *patris patrimi* factam legimus.[49] Ipse enim aliam ei vocabulo significationem subdit, quam in illa formula, de qua nobis sermo est, fecerat, et solus praeterea est qui huius patrimi patris memoriam propagavit, in quam vim autem ita adpellatus fuerit, plane in obscuro reliquit. At fortius illud obiici primo adspectu quis existimaverit, quod tamen apud ipsum Arnobium matrimi vocem solem habeamus positam. Sed si quis adverterit hunc auctorem nobis non superesse, nisi ex uno Codice eoque foedissimo mendisque omnis generis inquinatissimo, ut non alius sit, qui magis Criticorum ingenium exercuerit, et post tot nobilissimorum hominum operam adhuc exercere possit, is profecto vix dubitabit hic quoque Arnobio humani nonnihil accidisse. Atque ad id paene contorto collo rapimur, quando conspicimus ab eo ad verbum exscripta esse, quae initio ex Oratione de Haruspicum Responsis posuimus, in quibus praeter matrimorum nomen, alterum illud patrimorum neutiquam deest, ut vix quisquam dubitaturus sit, id vocabulum excidisse sive ipsius Arnobii incuria, sive librarii oscitantia. Superest et tertius

---

[49] in v. *Pater patrimus.*

locus, quem a quibusdam ei rei occentari didicimus, eumque his verbis aiunt apud Catullum [50] legi:

> ... *habe tibi quidquid hoc libelli est,*
> *Qualecunque: quod, o patrima Virgo,*
> *Plus uno maneat perenne seclo,*

eisque Minervam intelligi, quae, cum e cerebro Jovis nata, nec matrem habuisse crederetur, scite *patrima* appellata fuerit. Sed Bonum Factum! Illa enim patrima Virgo non Catullo debetur, sed Scaligero, qui, cum coniecturam hanc editioni suae protinus indidisset, non caruit qui eum temere sequerentur, [51] donec, quod in Mss. et antiquiorib. Edd. est, *patrona*, in suum locum restitueretur. Sic autem merito appellatur, cuius adeo, cum ipsa litteris praeesse crederetur, imago in bibliothecis poni consueverat. Advertendum deinde et illud est, quibuscunque locis formulam istam perscriptam legimus, *patrimorum* vocabulum semper praeponi, *matrimorum* subsequi. Quod, ne fortuito factum existimemus, in memoriam revocandum est, ita semper fieri antiquitus solitum, ut in utriusque sexus concursu, mas feminae praeferretur. Qua in collocatione nec nos perturbari eo sinamus, quod Festus semel praepostere *matrimes* et *patrimes* posuit, quod factum esse constat ex ratione libelli sui, quem, secutus literarum ordinem, ad Lexici mo-

---

[50] *Carm. I.*

[51] Quos inter Ramlerus quoque est, et vitium vitio superaddens inauditam praeterea verbo isti subdidit significationem, vertendo: *vatergeborne Jungfrau.* Nec magis probandus videtur alius, vir quidem ille longe doctissimus, qui, cum invenisset apud Catullum quosdam legisse *patroa Virgo*, excidere sibi passus est, quae Graecis ἑστία πατρῴα dicebatur, eam Latinis patrimam vocitari. Vid: *Symbolik T. I. pag.* 625.

dum conscripsit. Atque his quidem formulae istius ratio grammatica posset videri absoluta, nisi verbo adhuc tangenda foret lis superiorib. saeculis de quantitate istorum vocabulorum agitata, Politiano et Jul. Caes. Scaligero censentibus penultimam syllabam corripiendam esse, ut fit in verbis, *finitimus, legitimus, aeditimus*, aliis; contra vindicantibus et reclamantibus producendam esse, Jos. Scaligero et Jo. Gerh. Vossio principibus, quemadmodum habemus in *quadrimus* et bissyllabis, *bimus, trimus*, quin et *primus*. In qua controversia Vossii partes omnino vicisse videntur. [52]

Et hactenus quidem de his, quae ad Grammaticorum subsellia spectant; iam tempus est, ut in rem ipsam descendamus, et ex domestica illa et umbratili exercitatione copulatam illam patrimorum formulam quasi in castra aciemque forensem deducamus. Quum enim viderimus his nominibus generatim censeri, quibus id fortunae datum est, ut ambo parentes habeant vitam adhuc viventes, de quo nemo est, qui dubitaverit unquam, quaeri merito posse videtur, ista appellatio in omnes omnino conveniat, quibus ea felicitas evenit, cuius illi cunque sint sive aetatis, sive conditionis, an vero ad homines tantum certae aetatis certaeque conditionis? Quodsi invenerimus, quod facile nos reperturos existimo, non eum esse illarum vocum usum, ut de quibusvis usurpentur, quibus parentes superstites sunt, sed coarctari restringique ad certos aliquos homines, et quasi gallinae albae pullos, non potest esse a re alienum exqui-

---

[52] Cuius argumenta lege sis in nobilissimo opere *de arte Grammatica, II*, 23 legisse autem non videtur Forcellinus h. v.

rere, quae eius rei causa sit, quidque Romanos Graecosque impulerit, ut isti hominum generi certa vocabula quaererent, cum tamen ceterae gentes iisdem careant. Constat enim inter omnes, in tanto diversarum linguarum ambitu, ipsa vocabula, praesertim illa quae τέχνικα appellamus, non sponte una nocte atque fortuito quasi fungos nasci, sed caussa aliqua impellente et ratione suadente, ut ipsa necessitas vere dici possit vocabulorum genitrix esse. Ex omnibus vero, quae supra attulimus Veterum locis, hoc primum colligitur, nusquam patrimos matrimosque appellari, qui iustae sint perfectaeque aetatis, quid? quod, iis plerumque adeo coniungi expresse *puerorum* et *puellarum* adpellationes, quibus inprimis significantur, qui adhuc sunt impuberis aetatis. Ex quo hoc consequi posse videmur, ad maiorem in definiendis istis hominibus perfectionem nos pervenisse, si dicamus patr. et matr. eos tantum vere dici, qui parentes in vivis habeant, ipsi autem adhuc sint impuberes, neque adeo in adultae aetatis homines istam formulam cadere. Quare nec ausim latina oratione his nominibus uti, Have meum dicens candidissimae animae et collegae desideratissimo, quem his ipsis diebus, utique in florentissimo iuvenilis prope aetatis statu, ipsis parentibus superstitibus, virum tamen, ingenti civium luctu ac miseratione, iniquissima sors eripuit suis, amicis, urbi, reique publicae universae. Cuius viri morte, naturae quidem debita, at, suscepto pro patria nimio labore, nimis properata, eoque ipso clariore quidem, sed et acerbiore, si quis penetrabili querimonia academiae, cui omnibus virtutibus praeerat, inflictum esse cruentum vulnus et paene insanabile dixent, damnumque propemodum irreparabile, nihil eum dixisse

4

auribus, nihil concioni, sed veri, sed solidi, sed sinceri simillima omnia dixisse, ultro fateamur oportet. Et haec quidem dolori recenti dedimus. Quod autem supra diximus de vocabulis p. et m., adhuc nimis commune est. Quare ex iisdem Veterum testimoniis hoc praeterea adiungendum est, in huiusmodi pueris puellisque id quoque spectatum fuisse, ut et liberae essent personae atque ingenuitate atque adeo civitate gauderent, ex quibus deinde id lucide apparet, neutiquam esse ut iis accenseri possint sive servi, sive peregrini, adeoque id verum esse, ut ne ex servitute quidem manumissi et civitatem adepti, his vocabulis honorati fuerint. Veruntamen nec hoc satis est. Quodsi vero ex iisdem testimoniis animo repetieris, istiusmodi puerorum mentionem non fieri, nisi ubi de re sacra sermo sit, non video quid praeterea ex antiquis memoriis addi possit. Neque enim aliter eos commemorari vidimus, quam ubi disseritur, vel de eo, quod proprium sit in his, qui ad certa quaedam sacerdotia eligi queant, veluti in Virginibus Vestae, aut Saliis, aut in ministris quorundam sacerdotum, quos Veteres Camillos dicebant, vel ubi aliquid adfertur de supplicationibus, aut publicorum operum inauguratione festorumve dierum celebratione, veluti ludis secularibus, epulisve publicis, quales illae Fratrum Arvalium; quarum rerum nulla est, quae non attingat publicam Romanorum religionem. Quod autem ad privatas cerimonias attinet, eorum nusquam mentio iniicitur, nisi in nuptiis et solemni domum deductione, ut vel hac ratione non incommode Modestinus[53] dixerit, nuptias esse non tantum humani, sed etiam divini iuris com-

[53] *L. I. D. de Nuptiis.*

municationem. Quare, cum hac mente imbuti fuerint et Graeci et praecipue Romani, ut in rebus quibusdam divinis necessarias putarint personas, quibus ambo parentes adhuc florerent, quaeque minoris aetatis essent et civitate gauderent: ratio quoque in propatulo est, quae eos coegerit, ut iisdem propria vocabula quaererent. In caeteris autem gentibus, quarum in sacris istiusmodi personarum usus non est, nulla quoque causa existit, cur similes voces inveniant. Quae et alia cum ita publice dissererem, repertus est iuvenis industrius, qui a me peteret, cur Romanis ita visum fuerit, ut quandoque istis personis se carere non posse existimaverint? Respondi, rem esse altioris indaginis et paucis verbis vix absolvendam. Sciret interim, universam fere Romanorum religionem his quasi duobus fulcris niti, ut in rebus publicis privatisque suscipiendis bona omina quaererent, e quibus propitios sibi deos sentirent; si quid vero prodigiorum, aut ostentorum, aut monstrorum accidisset, ex quibus Deorum ira protenderetur, id uti procurarent. In hanc igitur rem, praeter illa, quae Sibyllinis oraculis, Pontificum Augurumque libris et Haruspicum responsis continerentur, adhibitos quoque fuisse homines, quibus prae caeteris praecipua aliqua felicitas inesse crederetur, sive illa re cerneretur, sive adeo solo nomine haberetur, ipsamque illam felicitatis imaginem pro bono augurio fuisse. Quod cum aliis documentis demonstrari possit et ipsis quoque illis, quae supra attulimus constet, praeterea hoc unum in memoriam revocare me velle, in locationibus publicorum vectigalium primo loco a Censoribus solitum proponi lacum *Lucrinum*, quod is propter piscium multitudinem a *lucro* nomen haberet, et similiter, quando e matricula mi-

lites recitarentur, ante omnia recitatos fuisse quibus fausta nomina essent, Valentis forte aut Felicis.[54] Quae cum ita se haberent, quid magis Romanorum superstitioni conducere poterat, quam pueros puellasque sacris adhibere, quales ante descripsimus, personas videlicet, florentes virentesque bonis omnibus, quibus summa felicitas inesse videretur, nondum inquinata ullius adversae fortunae macula, e qua male ominari cuiquam liceret. Quid enim felicius videri poterat his personis, qui, cum tenerae aetatis essent, in primis curae Diis esse crederentur? aut quid magis prosperum his, qui ambo parentes superstites haberent? aut his, qui ex iustis nuptiis procreati ac libere nati essent, quique et ingenuitate florerent et civitate? quibus bonis vix quidquam addi posse videbatur Romanis. Contra vero, quid infaustius servitute, aut infavorabilius peregrinitate, aut minus commendabile libertinitate, quae quamvis coniuncta esset cum civitate, tamen pristinae servitutis memoriam retineret?

Quod de libertinis dixi, eos etiamsi aetatis iustae essent, tamen pontificia ratione non potuisse in patrim. et matrim. numero censeri, adeo verum esse videtur, ut vel ex iuris civilis praeceptis arceri de-

---

[54] Festus: *Lacus Lucrinus in Vectigalibus primus locatur eruendus, ominis boni gratia, ut in dilectu censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius;* ubi illud *eruendus* merito displicuit, Brissonioque ansam dedit, ut *fruendus* emendaret, pro quo *emendus* aequo iure placuit Jano a Costa ad § 3. *Just. de Locat. Cond.* nam et fruendi et emendi vendendique voces in re vectigali trita sunt vocabula. Fuit quoque nuper, ingenii apprime valentis et felicis vir, qui *everrendus* proponeret, quod, nescio, an impetraturum sit adsensum, propter ingratam quam continet ambiguitatem, per quam lectori aeque licet de piscationum reditu cogitare, quam de eruderandis e lacu scopis et purgamentis, quod serio placuit Dacierio, sic inveteratae lectioni defensionem paranti, qua ex locatione nemo non damnum potius aerario, quam lucrum accessurum existimabit.

buerint, ex quibus libertinus *nec patrem*, adde nec matrem, *habuisse videtur, cum servilis cognatio nulla sit,* quae verba sunt Vlpiani.[55] Quae autem insania haec foret, patr. et matr. dicere, qui ipso Romanorum iure ἀπάτωϱ atque ἀμήτωϱ haberetur? Erunt tamen fortasse qui ex adverso se stare posse existiment, et nisi in aliis, certe in Vestalibus capiendis secus fuisse, hoc argumento se tuebantur, quod Macrobius, non sua, sed vestuti scriptoris, nimirum Auguris M. Laelii auctoritate, qua vix alia certior esse possit, retulerit, bello Punico secundo ex ipsis Sibyllinis libris in obsecratione Deorum adhibitos fuisse pueros ingenuos, itemque libertinos patr. et matr. nec non virgines. Possem dicere id tum quidem factum, sed ex singulari aliqua causa, et, quod in ore ICtorum est pro me afferre, exceptione regulam confirmari magis, quam infringi. Sed quod placiturum sic satis confido iuris disciplinae imbutis, dubium videri potest, an satis sit facturum philologorum filiis. Igitur aliam viam ineamus, eamque certiorem. Certum autem habemus e gravissimo auctore Tranquillo,[56] prisco tempore libertinos

[55] *Fragm. XIII,* 3. quo respexit D. Ambrosius *de Abraham cap.* 4, loco neglecto: *Pater erat, cum de ancilla prolem haberet, sed pater filii non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus coniugio. Peperit Sara, et factus est pater filii;* ubi delenda est posterior negatio et scribendum, *qui erat leg. susc. coniugio.* Mallem quoque: *sed pater familias non erat*, nec tamen insto.

[56] Verba Suetonii, *Claud.* c. 24. haec sunt: *Temporibus Appii et deinceps aliquandiu libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* Quae verba aliter ab Ernestio et Vaassenio ad *Fastos Rom. p.* 122 *sqq.* accepta fuisse, aliter a Wolfio et qui eum secuti sunt Bremio et Crusio, Ernestio parum faventibus, quo autem se verteret titubasse Oudendorpium, nemo ignorat. Inter quos viros pacem conciliare etsi non sit ex persona mea, quod tamen in litteraria re publica eadem cuiusque habeatur suffragii potestas, quid de ea re sentiam dicere non erubesco.

non tam dictos, qui e servitute manumissi erant, quam qui ab his nascerentur, h. e. illi ipsi qui, postea ingenui et dicti sunt et habiti. Sic igitur capiendus vetus ille Augur, ex sui temporis sermone locutus, neque aliter illum cepit Macrobius. Nam post relata Auguris verba, quos hic libertinos dixerat, eos, ex suae aetatis more, libertinorum filios nominavit, et ne quis errare possit, praeterea

Non alia autem Suetonii mens videtur fuisse quam haec: prisco aevo usu servatum fuisse, ut ex servitute manumissi, *liberti*, qui ex his procreati, *libertini*, horumque demum gnati, *ingenui* dicerentur: postea autem evenisse, ut *libertorum* et *libertinorum* nomina promiscua haberentur, ad significandos e servis liberos factos, utque, qui ante libertini, iam *ingenui* dicerentur. Nec desunt, quae in eam sententiam dici possint. Et quidem primum ipsa rei ratio id suadet. Cum enim antiquis temporibus iura ingenuorum, manumissorum, horumque liberorum discreta essent, ipsa necessitas suadere debebat, eosdem ab se invicem certis vocabulis distinguere. Qua necessitate cessante, coalescentibus paullatim ingenuorum et ex manumissis gnatorum iuribus, factum est, ut libertorum et libertinorum appellationes eadem conditione haberentur et promiscue usurparentur. Accedit ipsius linguae latinae analogia. Quid enim est libertus, nisi a servitute liberatus, contracta voce? aut quid aliud libertinus, quam qui a liberto originem trahit? Itaque ab equo, equinum dicimus, et porcinum a porco, et anserinum ab ansere, et a medio mediastinum, ut alia transeam. Firmant Graeci de rebus Romanorum antiquis disserentes eoque adacti, ut a libertis horum liberos separararent; quam in rem libertos ἀπελευθέρους, eorum autem prognatos ἐξελευθέρους appellarunt. ἐξελεύθεροι, inquit Hesychius, οἱ τῶν ἐλευθερωμένων υἱοί. Quod si mihi non credas de differentia istorum vocabularum sic statuenti ad mentem Suetonii, velim credas Isidoro *Origg*, *IX*, 4, cuius haec sunt: *Libertus vocatus quasi liberatus. Libertorum autem filii apud antiquos Libertini appellabantur, quasi de libertis nati.* Ecce, antiquum et recentem istarum vocum usum probe distinguit, et sumsisse ea de vetere aliquo grammatico non est improbabile. Quae autem mox sequuntur: *Nunc vero Libertinus aut a liberto, aut possessus*, ex proprio Isidori iecore profecta esse, dubitari non debet. Ea enim est perpetua huius Grammaticastri consuetudo, ut aliorum togis candidis de suo sordidam fimbriam adsuat. Quodsi et Isidoro fidem detrectas, quidni credas Laelio illi Auguri, istiusdem distinctionis testem omni exceptione maiorem. Miraculo autem propemodum est propinquum, neque aut Macrobium, aut Isidorum ab illis viris doctissimis, qui de ea re disceptarunt, inspectos consultosve fuisse.

addidit, *ex iusta duntaxat matre familias natos,* quod nullo modo in manumissum cadere potest, qui cum iure civili parentes habere omnino non putaretur, quia non ex nuptiis, sed ex contubernio servili ortus esset, nulla prorsus ratione ex iusta matrefamilias natus a Macrobio dici potuisset. Adeo autem hoc verum est, ipsos manumissos cum patr. et matr. nihil commune habuisse, ut, quo tempore antiqui mores nondum obsolevissent, ne horum quidem liberi, etsi post patris manumissionem ex iusto matrimonio procreati, iisdem accenserentur. Nisi enim hac consideratione tanta hac in re fuisset antiqui temporis severitas, nihil profecto opus fuisset isto librorum Sibyllinorum velamento, ut, singulari aliquo casu liberti digni haberentur, qui inter caeteros ingenuos patr. et matr. sacris operarentur. Conficit denique rem omnem et religionem hanc vel ad Imperatorum aetatem perdurasse demonstrat, quod apud Dionem[57] legimus. Cum enim Augusto principe ex facto incidisset, ut virginum Vestalium numerus suppleri deberet, atque honestiores — οἱ πάνυ εὐγενεῖς — aegre filias offerrent, expressa lege id remissum narrat, atque ut e libertinorum filiabus caperentur permissum. Ita enim latine vertendum videtur, quod ille graece sic extulit: ἐνομοθετήθη καὶ ἐξ ἀπελευθέρων γεγεννημένας ἱερᾶσθαι, quae vitiose sic Xylander reddidit: *ut eo sacerdotio fungi etiam Virginibus libertinis liceret*, neque enim admitti voluit lex virgines libertinas, sed quae e libertinis propagatae essent. Cuiusmodi admissa, si quis in conversionibus Leunclaii, Xylandri, Sylburgii, quae vulgo etiamnum circumferuntur, haud

[57] *Histor. LV*, 22 *in f.*

raro deprehenderit, neque mirabitur, neque indignabitur, perpendens hos triumviros in vertendis graecis scriptoribus mercenariam potius, quam voluntariam operam adhibuisse, praeterea graecae magis, quam latinae linguae peritos fuisse.

Atqui clausissem hic diatribae huius rivulos, longius fortasse iam deductos, quam rei dignitas postulat, nisi tangenda foret perversa haec quorundam opinio, in istis pueris non hoc principaliter spectatum fuisse, ut utrumque parentem in vivis haberent ingenuique essent, sed ut e confarreatis nuptiis gnati fuerint. Cuius sententiae quasi antesignanum accepimus Thomasium,[58] acutissimi quidem ingenii virum, sed et antiquitatis omnis parum gnari. Quare nec tam altas radices egisset haec opinio, ut paene omnes libros occuparet, nisi socium sibi adscivisset Heineccium,[59] cuius in eiusmodi rebus praeterito seculo apud omnes fuit auctoritas maxima. Orta autem est haec opinio potissimum ex male intellectis concoctisque Petri Pithoei[60] dictis. Qui, cum primus eo usque ignotum Servii de patr. et matr. locum produxisset, primus quoque docuit, ex eo manifestum fieri, non omnes, quorum parentes superstites essent, iis vocabulis censos fuisse, sed si e farreatis nuptiis orti fuerint. Sed et idem caute addidit, quod postea neglectum est, intelligendum id esse de remotissimis tantum temporibus, postea autem suffecisse quodvis legitimum coniugium, quod profecto verissimum est. Cum enim antiquissimis reipublicae Rom. temporibus omnes omnino ho-

[58] Diss. *de usu pract. tit. Inst. de Nupt. cap.* 1. § 6.

[59] in *Antiquit. Rom. Synt.* 1, 10, 5.

[60] ad *Coll. LL. Mos. et Rom. XVI*, 2.

nores atque in his sacerdotia quoque et quidquid in sacris iuris esset, ad solos patricios pertinerent, id quoque consentaneum visum fuit, ut patricii in matrimoniis ineundis illud potissimum genus sequerentur, quod cum sacris proxime coniunctum erat, h. e. farreationem, in qua etiam tanquam auctores intercederent, qui earundem gentium essent, Pontifex Max. et Flamen Dialis. Quare, ad ista tempora respiciens, recte omnino Servius dixisse videri potest, patr. et matr. ex confarreatione nasci. Ex quo vero maiestas populi ad plebem quoque pervenit, de connubio patrum et plebei contentiones sopitae, paulatimque honores omnes, in his quoque Sacerdotia omnia communicata fuerunt: tum quoque fieri debuit, ut si quando ad sacra puerorum istorum puellarumque necessitas esset, ex plebe nobiliore sumerentur, cuius pleraque omnia coniugia aut coemtione, aut usu constabant. Quod nisi ita fuisset, rarescente iam Tiberii aetate farreationis adsuetudine,[61] adeo ut vix tres patricii ex his nuptiis geniti reperirentur, qui in defuncti Flaminis Dialis locum legi possent, mox, obsoletis plane huiusmodi nuptiis, et extinctis quoque patriciis gentibus, fieri necessario debuisset, ut patr. et matr. non solum nomen sed et usus plane pleneque intercideret. Et tamen aliter factum esse constat, et Philippi Imp. adhuc aevo, quo de farreatione et patriciorum gentibus nemo amplius somniabat, patrimorum tamen matrimorumque non solum nomen retentum fuit, sed et usus constitit, quemadmodum supra e Zosimo retulimus. Neque vero tum de horum numero sollicitudinem fuisse

[61] Tacit. *Ann. IV*, 16.

ullam legimus, ut vel triginta sine difficultate reperirentur. Illud tamen mentibus Romanorum semper haesisse probabile est, ut inter huiusmodi pueros puellasque vix censerentur, nisi qui loco nobili valdeque honesto nati essent. Inde est, quod apud Dionem perscriptum habemus, quum lege lata etiam libertinorum filiae ad Vestae sacerdotium admitterentur, quanquam nobilium fastidium ei legi ansam dederat, tantam tamen vetusti moris reverentiam fuisse, ut, nisi ex nobili nata nulla caperetur. Denique, quo tandem hunc tractatum claudam, ex hoc more exque hac Romanorum opinione id mihi consecutus esse videor, ut, si quando in Veterum scriptis sola puerorum puellarumve in rebus sacris occurrit mentio, sive id fiat adiecto aliquo honoratiore ἐπιθέτῳ, quod plerumque fieri adsolet, sive absque illo, id de patrimis matrimisque semper existimem interpretandum esse. Quae res, parum adhuc observata, non nihil tamen momenti habere videtur ad maiorem pleniorem que priscorum auctorum intelligentiam. Monenda quoque videtur iuventus verborum studiosa, hac mente capiendos esse, qui apud Catullum[62] dicuntur *puellae et pueri integri*, et apud Suetonium,[63] *nobiles pueri et puellae*, carmine modulato laudes virtutum Caligulae in ipso Capitolio canentes, et qui *felicissimi* praedicantur Servio,[64] denique, ne alios locos conquiram, quos in simili re Dio[65] εὐγενεστάτους appellavit, quos omnes uno vocabulo Camillorum antiquitas complexa fuisse videtur. Satis de his; ad alia Gellii transeamus oportet.

---

[62] *Carm. Seculari ad Dianam.*

[63] in *Calig.* c. 16.

[64] ad *Aen, IV*, 167.

[65] *Hist. LIX*, 16.

III.

„Item quae lingua debili, sensuve aurium diminuta, aliave „qua labe insignita sit."

Quod de lingua, ne qui in ea defectus notaretur, praecepit Gellius, idem confirmatum iam tenemus a Frontone,[66] restituto nuper beneficio Cl. Ang. Maii., qui, *neque*, inquit, *balbam virginem, quae Vestalis sit, capi fas est neque sirbenam.* Generaliter enim *lingua debilem* Noster eam dixit, quam, discretis oris vitiis, Veteres modo *atypam*, modo *balbam*, modo *blaesam* dixerunt, quos homines una cum his, qui *tardius* loquuntur, coniunxit Vlpianus,[67] pro parte quoque distinxerunt Glossae Lat. Gr. sed, ut in multis, ipsae quoque debiles. Ita enim illae: τραῦλος, *valvus, raucus, blessus.* ubi nemo non videt, corrigendum esse, *balbus, raucus, blaesus.* De quibus, aliisque in verborum pronunciatione vitiis, quum satis praeceptorum habeamus,[68] non est quod copiosius agamus. De *sirbenae* autem apud Frontonem voce, modo ea recta sit, tanquam ἅπαξ λεγομένῃ, vel propterea quidquam dicere prohibemur. Quam vero alte plerisque antiquis gentibus insita fuerit, et aliquibus etiamnum sit concepta haec opinio, non esse ad sacerdotia admittendos, qui *insignita*, ut Noster ait, h. e. quasi signis

---

[66] in Eiusd. Reliquis *p.* 116 ed. Niebuhrii.

[67] *L.* 10. § 5. *de Aedil. Ed.* e quo ipso Aedilium Edicto Noster quoque balbos et atypos commemoravit *IV*, 2.

[68] In primis Coel. *Rhodigin. Lectt. Antiquar. VIII,* 1—4.

quibusdam impressa labe quorumcunque corporis membrorum infecti sunt, quum alii diserte docuerint, repetere nolui, contentus iuris studiosos monere, multa hac de re curiose congesta esse in Gratiani Decreto et Decretalibus Gregorii,[69] quae tamen parum apud nos, qui Evangelici nominamur, hodie custodiri solent. Certe non semel stolatos incedere vidimus gibberosos aut vatios, nec semel audivimus de suggestu ululantes potius ac mugientes, quam lingua humana declamantes, quorum nullos admisisset veteris Ecclesiae disciplina. Adeo verum est, nullum superesse in republica locum, sive gratiae, sive ambitioni, sive etiam miserationi inaccessum. Commemoratum vero illud Pontificum praeceptum tam severe olim in Vestalibus observatum fuit, ut tum quoque, si quae gravius aegrotare coepissent, non sacris solum abstinere, sed et Vestae aedem excedere cogerentur et curae matronarum, teste Plinio,[70] mandarentur. Postea temporis in eam rem proprios habuisse Archiatros didicimus ex edicto Impp. Valentiniani et Valentis. Eius Edicti verba[71] principalia hic apposui, ut mala interpunctione et menda liberarem. Sunt autem haec: *Exceptis porticus Syxti Virginumque Vestalium, quot regiones Urbis sunt,* (erant autem quatuordecim) *totidem constituantur Archiatri, qui scientes annonaria sibi commoda a populi commodis, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus.* In quibus recte quidem Gothofredus iam censuit *Syxti* nihili esse, scribendumque *Xysti,* rem tamen non confecit.

---

[69] De quibus docte egit Fabrotus in *Selectis iur. canon.* ap. Meerman. *Thes. T. IV. p.* 531 *sqq.*

[70] *Epp. VII,* 19.

[71] *L.* 9. *C. Th. de Medic. et Professorib.* (*XIII,* 3.)

Nam et extrudenda erat vox, *Porticus,* ne idem bis dicatur; est enim non nisi interpretatio vocabuli ignotioris *Xystus.* Hoc igitur volunt Impp. constituendos esse quatuordecim Archiatros, praeter illos *Xysti* gladiatorum et Vestalium. Cum autem vel sic oratio hiare videretur, post verbum *commodis,* in Cod.[72] Iustin. additum est *ministrari.* Male, si quid video. Commoda, quae quavis pagina in Impp. constitutionibus occurrunt, salaria sunt et stipendia ultro erogata ab aerario, quod proprie populi esse censebatur, etiam tum, cum avaritia Principum vocabula Aerarii et Fisci *συνώνυμα* facta erant. Quae autem fuerint populi commoda, nemo dixerit, nisi fortasse panes gradiles velit, qui tamen non tam populo ministrabantur, quam infimae plebi. Verius igitur Impp. ita scripsisse videri potest: *scientes annonaria sibi commoda a populo commodari,* quod omnino res erat.

IV.

„Itemque, quae ipsa, aut cuius pater emancipatus, etiam „si vivo patre in avi potestate sit."

Quod prohibitum fuerit virginem capere, quae ipsa emancipata sit, eius rei causam recte Thysius in eo quaesivit, quod emancipatio ex vetere instituto per trinas mancipationes totidemque manumis-

[72] *L. 9. C. Iust. eod (X, 52.)*

siones celebraretur, indeque fieret, ut nemo emancipari posset, nisi in imaginariam servitutem deductus esset.[73] Adeo autem Romani in rebus divinis delicati fuerunt, ut in Vestali quamvis servilem causam tanquam malum aliquod omen horrerent, sive illa in ipsa virgine spectaretur, sive in proximo agnato, i. e. patre, si forte post eius emancipationem nata fuisset, qua in specie antiquissimo tempore, ut e Macrobio vidimus, ne pro ingenua quidem sed pro libertina habebatur. Et hoc quidem per se satis manifestum est ; illud vero paullo obscurius, quare ne ita quidem capi potuerit, si pater quidem emancipatus foret, ipsa autem in posestate avi mansisset ? quod sane intelligi non potest nisi, quid ratum fuerit antiquo iure, in mentem revocaverimus. Facta autem filii emancipatione, quae cum capitis deminutione coniuncta erat, ipsa inter patrem et filiam agnationis iura, quae civilia sunt, illico perimebantur[74] adeo, ut pro patre iure civili haud amplius haberetur et quasi pro mortuo ageret, quo facto filia, etiamsi in avi potestate mansisset, patre tamen orbata videri debebat, neque amplius haberi in patr. et matr. numero. Quam rationem, cum Cuiacio[75] quoque placuisse videam, nemini non satis esse facturam confido.

---

[73] teste Paulo in *l.* 3. *de Cap. demin.*

[74] *Minima capitis deminutio est et in his, qui mancipio dantur, quique ex mancipatione manumittuntur. Nec solum maioribus deminutionibus ius agnationis corrumpitur, sed etiam minima,* verba sunt Gaii *Inst.* 1, § 162 *sq.*

[75] Ad *pr. Inst. quib. Mod. ius. potest. solv.*

V.

„Item, cuius parentes, alter ambove, servitutem servierunt, „aut in negotiis sordidis diversantur."

De re satis dictum est ante, et verborum parcior esse poterat Aulus. Quodsi enim Vestae ministerio minus apta habebatur, cuius parens emancipatus erat,quamvis is ante emancipationem et liber esset et ingenuus: idem multo magis evenire debebat in ea, cuius pater e iusta servitute libertatem consecutus erat, ingenuitate autem destituebatur. Illud vero iuvenum causa non videtur praetereundum, verba *alter ambove* non fortuito esse usurpata, sed e numero solemnium formularum, quibus inprimis in legibus et SCtis uterentur, quare et a Valerio Probo [76] relatum sit, ea per has notas, *A. A. V.* scribi solita fuisse, meritoque ea vasto operi suo insinuaverit formulariorum omnium princeps doctissimus. [77] Idem quoque existimandum est de formula, *servitutem servire*, quam totidem verbis Noster alibi [78] repetit, repetierunt etiam Javolenus [79] et Paulus [80] ex Edicto Praetorum, Quintilianus [81] autem antiquum esse monuit. Refert Gronovius in duobus Mss. esse *servitute servierunt* et probat, eodem enim modo *occidione occidere* dici; verum haec non sunt paria, neque quis-

[76] Libello, *de interpr. Roman. litteris.*

[77] Barn. Brisson. *de form. et solennib. P. R. verbis, lib.* 11. *c. III.*

[78] *lib.* 11. *c.* 18.

[79] *L.* 24. *de stipul. serv.*

[80] in *Fragm. Vatican.* § 307.

[81] *Inst. Orat. VII*, 3, 26.

quam *occidionem occidere* dixerit. *Servitute* tamen *servire* dici potest ut *metuere metu*, et *metum*, *pugnare pugnam*, et *pugna* ac similia, dixitque vere Plautus.[82]

Praeter istas personas, quarum lectioni sive verae, sive fictae atque imaginariae servitutis contagium obstitisse vidimus, pergit Noster nec capi potuisse, quarum parentes *in sordidis negotiis diversarentur*, et, quemadmodum alibi[83] loquitur, negotiis se plerumque umbraticis et sellulariis quaestibus intentos haberent, cuiusmodi artes Graeci τέχνας βαναύσας vocarunt. Id vero vel maxime conveniens erat antiquae disciplinae, quae ut e patriciis legerentur voluit, et, ubi ab hac severitate recessum, saltem ut haberent parentes nobiles et illustri loco positos. Inde reiectae sunt, quae e faece sellulariorum erant et eorum, qui sordidas atque illiberales artes profitebantur. Cum enim in ipsis Reipublicae Rom. incunabulis eius vis omnis in belli artibus atque re rustica, tanquam unis fulcris, reposita putaretur, factum est, ut reliqua omnia vilescere, et quibus nunc pleraeque res publicae in primis florere existimantur, ipsa mercatura et artificia, vix homine libero digna putarentur. Quid? quod ipsa litterarum studia, quibus tamen in libero homine nihil potest reperiri liberalius, per oppido multa secula inculta apud Rom. iacuerunt et abiecta, neque caput extulerunt nisi vergente republica et postquam inter cruenta et intestina civium bella partiumque dissensiones experientia compertum fuit, quanta iisdem insit ad hominum animos commovendos potestas. Sed et postquam litteris

[82] in *Mil. Glor.* II, 6, 2.

[83] *lib. III*, c. 1.

honor aliquis haberi coepit, caeterarum tamen artium, quibus victus quaeritur, eadem mansit despicientia, idem contemptus, ut vix exempla suppetant eorum, qui, quum se hisdem mancipassent, nihilominus reipublicae admoti fuerint. Quod singulare Romanorum, etiam sapientissimorum, ingenium, non potest planius quam ex ipso Cicerone cognosci. *Illiberales,* inquit,[84] *et sordidi sunt quaestus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur. Est enim illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mereantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Opifices omnes in sordida arte versantur, nec vero quicquam ingenuum habere potest officina.* Nec sapientior in ea re Seneca fuit. *Vulgares,* ait, [85] *sunt artes opificum, quae manu constant et ad instruendam vitam occupatae sunt; in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est.* Idem quoque Tullius,[86] cur istiusmodi homines, et omnino qui inopes ab honoribus arceret, hanc alicubi, infrunitam profecto ac tanto philosopho indignam, dedit rationem, *siquidem ea, quae vim habet necessitatis, inopia, faceret, ut eorum non modo manus labe rerum vilissimarum foedarentur, verum animi quoque, tum cogitandis, tum etiam perpetrandis sceleribus inquinarentur.* Abstineo plura, ne in his tam insolenter tamque incogitanter cogitatis, magis quam ipse Neptunus natare videar.

---

[84] *lib. III, c.* 1.

[85] *Epp.* 98.

[86] *de Nat. Deor.* III.

VI.

„Sed eam, cuius soror ad id sacerdotium lecta est, ex- „cusationem mereri aiunt. item, cuius pater Flamen, aut „Augur, aut Quindecimvirûm sacris faciundis, aut qui „Septemvirûm epulonum, aut Salius est. Sponsae quoque „Pontificis et Tibicinis sacrorum filiae vacatio a sacer- „dotio isto tribui solet."

Sed, inquit, h. e. praeterea, uti mox: *Sed Papiam Legem;* servit enim nonnunquam haec particula transitioni et ad alia properanti sermoni,[87] pro qua tamen frequentius, *sed et* legitur, ut millies in Pandectis. Et fortasse ita ubique reponendum est, quod fieri potest absque ulla violentiae specie, reputantibus, quo vetustiores sunt Codices, eo frequentius *set* in iisdem legi, quam *sed*, in illo autem, adhibito geminationis praesidio, utramque particulam

[87] In memoriam venit Livii *XXXIX*, 8, locus hic: *Nec unum genus noxae: stupra promiscua ingenuorum feminarumque erant: sed falsi testes, falsa signa, testamentaque et indicia, ex eadem officina exibant*; sic enim, *testamenta*, non *testimonia* legendum esse dudum perspexit Roeverus, et alibi quoque eas voces confundi docuit Schultingius, ad *Collat. LL. Mos. et Rom. tit. VIII.* § 7. Est praeterea, de quo doceri velim; video enim silere omnes. Nimirum, quid sint promiscua ingenuorum feminarumque stupra, fateor me non intelligere. Intelligerem si scriptum foret ingenuorum et ancillarum, aut libertinarum, aut adeo peregrinarum. Nunc quum videam *ingenuos* et *feminas* sibi opponi, qui id fiat, aut fieri possit, velim scire, paratus vel iuramento contendere, id alias nunquam factum legi.

comprehendi. — Pro genitivo *XVvirûm* et *VIIvirûm* plerique Codd. et Edd. primum casum exhibent; Regius Hafniensis utrumque, illum a prima, hunc a secunda manu. Priorem lectionem vel ideo Gronovii praetulerunt, quod exquisitior est, et Graecismum sapit, quem Noster amat. Graecis enim εἶναι et γίνεσθαι τινῶν familiare est. Qua occasione monendos duxi altellos meos, Scriptores Latinos, quo sint remotiores ab Augusti aetate, eo magis solere stilum convertere ad Graecorum morem dicendi, eiusque observationis, praeter alias, has potissimum esse causas, primum, ingentem peregrinorum numerum Romam migrantium et communicata civitate Rom. in Senatum honoresque omnes sese paulatim insinuantium; deinde, quod post Traianum plerique Imperatorum cum magno comitatu magis in provinciis, in primis plagae Orientalis, diversabantur, quam in ipsa Italia et Romae, unde brevi factum est, ut in aula magis dominaretur Graecorum, quam Latinorum lingua. — Pro *tibicines*, quod cum plerisque Codd. et Edd. dedimus, tres Mss. et duo editi *tubicines* habere aiunt, quos adeo post silentium trecentorum annorum rursus in sermonem Gellii reduxit, qui recentissime eius Noctes collustrare adgressus est, utinam lucerna non unius tantum nasiternae! Causam non addidit. Sed est fortasse, quod soleant quidam tubarum magis strepitu, quam tibiarum cantu delectari. Senserunt inde alii aliter, et, cum molliore aure essent, solas *tibicines* clientelae suae fecerunt. In his Otho est, idem ille qui repetitae Lipsiensi Gronoviorum editioni praefuit, eamque paucis, sed plerumque bonae frugis animadversiunculis auxit. Causam praetexit hanc, tubici-

nibus, non in sacris, sed in bello et funeribus locum fuisse quod nollem dixisset. Neque enim id patitur Satyricus,[88] cui debetur

dignissima prorsus
Florali matrona tuba,

neque alter hic eiusdem locus:

Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat atque tubarum
Concentus [89]

aut, qui tubicinum sacrorum expressam mentionem faciunt, aut festi, quod tubilustrium vocabant, quibus de rebus amplius dicere, prohibet aliorum industria.[90] Quid igitur faciemus in trepida hac re? ad tibicinem, an ad tubicinem primas deferemus? Videre enim mihi videor ab hac una quaestione pendere totius rei publicae incolumitatem, et longe maioris momenti esse, quam levicula illa nostri temporis, de Polonorum libertate, deque legitima Michaelis tyrannide, aut illa de Graecorum manumissione, aut adeo illa de Belgarum felicitate nuperrime XXIV articulis et πρωτοκόλλῳ Londinensi fundata et stabilita. Equidem post multas nocturnas diurnas cogitationes et ruminationes, tandem eo perveni, ut, si iudex in ista controversia sederem, magis pro Lipsiensibus, quam Goettingensibus oricillis sententiam ferrem, nisi alia, hac certe ratione, quod ipse de gente Saxonica siem. Est tamen et alia. Ecce enim insusurrantem mihi audio Sulmonensem:[91]

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, et in magno semper honore fuit;

---

[88] Iuvenal. *Sat. VI,* 249.
[89] Idem, *Sat. X,* 213.
[90] Vid. Interpr. ad *Calpurn. Ecl.* I, 67.
[91] *Fastor. VI,* 657.

et memoria teneo tibicines una cum Vestalibus a Numa institutos et Romae publice in Collegium coiisse ad caeterorum Sacerdotum exemplum, ut, etsi re ipsa Sacerdotes non fuerint, inter eorum tamen ministros praecipuum locum tenuerint, sacris fere omnibus adhibiti, quae cuncta vix cadunt in tubicines, qui nonnisi paucis certisque rebus divinis ministrasse videntur. Quid enim morer, qui tibicines ad vernaculorum gregem retulerunt, Pignorium aut Bartholinum? [92] Fecerunt enim, quod plerique consuerunt, qui Antiquitatibus Rom. operati sunt, ut toxica antidotis, et Surrentinam faecem Falernis miscerent, promiscueque haberent quoscunque in priscis scriptis reperirent τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν, eadem mensura mensurantes tibicines et tubicines, et cornicines, citharoedos et auloedos et pithaulos, et si quid praeterea est phonascorum, nihil quoque pensi habentes, publici fuerint, an privati, Romani, an peregrini.

Hactenus de verbis; nunc de re dispiciamus. Retulit Gellius e ICtorum scriptis, sive Ateii, sive Labeonis, quorum auctoritate toto hoc capite nititur, excusationem meruisse a Vestae sacerdotio non solum, cuius soror iam lecta fuerit Vestalis, sed etiam, quorundam sacerdotum filias, idque nisi plane coecutio, ea mente accepit, ut in arbitrio harum personarum fuisse existimarit, si lectae essent, eam lectionem accipere vellent, an recusare. In quam sententiam inductus videtur vulgari significatione vocabuli excusationis, quo usos fuisse ICtos illos non est dubitandum. Verumtamen est et alia minus usitata pauloque remotior eiusdem vocis potestas, ut emollien-

---

[92] Ille. *Com. de Servis, p.* 158 *sq.* hic *Tr. de tibiis Vett. III*, 2.

dae rei causa tum quoque usurpetur, quandonam quis prohibetur aliquid facere atque suscipere. Inde in Pandectis v. c. nonnunquam tutelam excusare non is solum dicitur, qui eam ultro et suapte voluntate, ex legitima tamen causa, a se amolitur, verum is quoque, qui etsi mallet cuperetque eam suscipere, prohibetur tamen subire.[93] Unde non inique doctores nostri Excusationem bifariam partiti sunt, ut aliam dicerent voluntariam esse, aliam necessariam. Quam rem quo diutius mecum perpendo, eo magis adducor ut existimem, in sacerdotum quidem filiabus id iuris obtinuisse, ut, si lectae fuissent in Vestae Virginem, accipere vellent eam conditionem, nec ne, ab arbitrio earum pependerit, in his vero, quarum soror iam esset Vestalis, etiamsi lectio iam facta fuisset, aliud obtinuisse easque nec si vellent potuisse lectioni consentire. Cuius quidem opinionis ne me poeniteat, vetus Romae institutum facit, ex quo in idem sacerdotium ius fas non erat alterum ex eadem domo atque familia admitti. Satis certus satisque idoneus eius rei testis est Dio Cassius,[94] qui sancitum narrat *νόμῳ διαῤῥήδην ἀπαγορεύοντι, μηδένας δύο ἅμα ἐκ τῆς αὐτῆς συγγενείας τὴν αὐτὴν ἱερατείαν ἔχειν.* Observatam eam legem usque ad Caesarum tempora, qui, cum legibus soluti essent, eam in favorem familiarum suarum spernerent, ex historiarum serie luculenter probavit Norisius,[95] purpuratorum omnium longe doctissimus. Sic igitur teneamus, cuius soror et agnata Vestalis esset, eam, quod ex eadem familia esset, capi non potuisse,

---

[93] Exempla videsis ap. Bynkersh. *Obss. IV*, 11. et Heinecc. ad *Brisson de V. S. h. v.*

[94] *Histor. XXXIX*, 17.

[95] *L.* 14. *II. de Sponsabb.*

et si forte lecta fuisset, necessaria excusatione uti debuisse, filias autem sacerdotum, quum lex, quae prohiberet, nulla esset, voluntariam habuisse excusationem. Inter Sacerdotes autem, quibus hoc beneficium datum fuit, Gellius non nisi certos aliquos memorat, neque ego dixerim, annon, aut, quare non, idem caeteris quoque concessum fuerit, veluti Fecialibus, Curionibus, Regi Sacrorum, et qui sunt alii antistites, in primis vero Pontificibus. De his vero hoc tanquam singulare refert, sponsas eorum lege Vestae solutas fuisse. In quo nescio an Noster rem satis perspectam habuerit. Frustra enim causam requiro, cur Pontificis tantum sponsae id privilegii datum fuerit, multae autem supersunt, quibus persuadeare, idem in omnes omnino sponsas tenuisse. Profecto omnium intererat id ita esse. Quis enim nescit Romanis hunc morem fuisse, ut vel tenerrimis annis vixque emensa infantia sponsalia contraherent, quod etiamnum in Italia saepenumero fieri constat, et ubicunque felicior aura mortales afflat et coelum mitius. Unum modo audiamus Modestinum:[95*] *In sponsalibus*, inquit, *contrahendis aetas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis: quapropter et a primordio aetatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quam septem annis.* Iam pone Mevium cum Caia, octenni forte vel decenni, sponsalia contraxisse, quid tum fiet, si illam Pontifex Vestalem ceperit? Nempe horum unum, ut aut aliam sibi sponsam quaerat Mevius, aut coelibem vitam agat, aut denique exspectet, donec Amata illa

---

[95*] ad *Cenotaph. Pisan. Diss. IV.*

Vestae vinculis solvatur, quod scimus fieri non potuisse, nisi post triginta annorum sacerdotium. Tum vero constans ille et perpetuus sponsus uxorem habebit, quae quadragesimum aetatis annum exegerit, cumque ea spe habebit valde dubia

ut sibi parvulus aula
Luserit Aeneas, aut filia dulcior illa.

Haec atque talia credat, qui volet, vix credent ICti, quibus id constat, nullam unquam fuisse gentem, quae magis faverit matrimoniis, quam Romuleam. Quare, etsi hoc nunquam relatum legimus, ipsa tamen ratio moresque Romanorum persuadent, sponsas omnes hanc vacationem habuisse, idque adeo confectum haberemus, si verum esset quod memini me apud nonnullos legere, qui se Antiquarios iactant, iuris fuisse, ut Sponsae a templo Vestae penitus arcerentur. Sed fallunt, aut falluntur, neque Servius,[96] cui propterea testimonium denunciant, id unquam tradidit. Verba eius haec sunt: *Varro in nuptiis sponsas ideo limen ait non tangere, ne a sacrilegio inchoarent, si, depositurae virginitatem, calcent rem Vestae, id est, numini castissimo consecratam.* Atqui Varroni de deductione sponsae sermo fuit, nec de limine Vestae templi, sed de limine domus futuri mariti, in quam deducebatur ut thalamum conscenderet. Omnia vero limina, etiam illa privatarum aedium, Vestae sacrata fuisse, ipse Servius alibi prodidit, unde pronum est, cur sacrilegii instar reputatum sit ea, tanquam rem sacram, pedibus calcare.

---

[96] ad Virg. *Ecl. VIII*, 29.

VII.

„Praeterea Capito Atejus scriptum reliquit, neque eius „legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, „et excusandam eius, qui liberos tris haberet."

Quod ad ὀϱϑοέπειαν adtinet, notent tirones male ita apud Gronovios scribi nomen Atejus, quasi sit trisyllabum, cum tamen sit quadrisyllabum, utpote gentis appellatio, quae semper in duas illas syllabas ius, exitum facit. Simile quid in Gaii nomine accidit, quod itidem non δισσυλλαβῶς, sed τϱισυλλαβῶς et scribendum et pronunciandum est, idque religiose Hispani ICti, veluti Ramosius et Retesius, observarunt, apud quos semper Caïus et Ateïus reperias. Ateii porro nomen in plerisque quidem Gellii Edd. duplici t exaratum deprehendimus, praestat autem simplex. Nam in membranis Pandectarum Florentinis, quibus propter summam earum vetustatem et diligentiam librarii in his quoque rebus magna debetur reverentia, quinquies Ateius, semel tantum aberrante calamo Atteius occurrit; consentiunt quoque Taciti, Macrobii, Festique Codd. lapides, atque Suidas, apud quem legitur nescio quis Δίδυμος Ἀτήϊος. Levia haec, nec tamen negligenda. Ita enim in antiquis scriptoribus nos versari oportet, ut vel minutissimarum rerum nobis ratio constet nihilque remaneat, quod aut non intellectum sit, aut obscurum.

Refert e Capitone Gellius, non legendam esse eius filiam, qui extra Italiam domicilium et rerum suarum sedem habeat, cui con-

venienter ex Lampridio supra vidimus Heliogabalum patrimos matrimosque per omnem Italiam conquisivisse. Ratio autem in promptu est, videlicet ne longinquitate itineris molestia nimia afficerentur. Minus vero pervium hoc est, quod idem perhibet, excusandam quoque eius filiam, qui liberos tris haberet. Quodsi ita vere scripsit Noster, non dubitandum est, id ad praemia et commoda πολυπαιδίας referendum esse, et ad L. Papiam Poppaeam pertinere, quae primum parentibus propter numerum liberorum immunitatem a plerisque muneribus personalibus concessit, eamque particulam id unum mirum est neglectam fuisse ab his, qui legem istam restituere conati sunt triumviris, Gothofredo, Ramosio et Heineccio. Et ita quidem res sese habet, si affirmate, ut nunc fit, legas, *qui liberos tris habent,* quam lectionem primus dedit Stephanus, ex emendatione Carrionis, qui eam ex Buslidiano Cod. accepit, et paucis, quod dicit, aliis. Mihi quoque, ita fuisse olim in Regio Hafniensi a prima manu, suspicio est. At vero in Edd. ante Stephanum, inque caeteris Codd. plane ἀποφατικῶς est, *qui liberos tris non haberet,* quod minime spernendum et haud scio an melius sit. Quanquam enim Vestae illud sacerdotium in maximo honore putabatur, tamen tantum abfuit ut expeteretur, ut Augusti iam aetate fugeretur adeo. Quare humanitatis ratio quodammodo postulare videri poterat, ut hoc onus qui tres pluresve liberos haberent, potius subirent, quam qui non nisi una aut altera filiola gauderent, quarum alterutra capta, ipsa spes potiundi beneficii trium liberorum paene decollata videri poterat. Neque enim ad istum numerum fecisse nisi liberos, qui adhuc in patris potestate aut bello amissi essent, quorum neutrum in eam, quae

Vestae fit, cadere potest, ipse Gellius [97] memoriae mandavit. Iam de iure ac commodis Vestalium sermo instituitur.

VIII.

„Virgo autem Vestalis simul est capta atque in atrium „Vestae deducta et Pontificibus tradita, eo statim tem-„pore sine emancipatione ac sine capitis minutione e patris „potestate exit, et ius testamenti faciendi accipit."

Atrii Vestae ideo videtur mentio facta, quod id habitationi Virginum destinatum fuisse probabile est. Certe id Lipsius suspicatus est, inque eam rem Plinio testimonium denunciavit, cuius tamen locum nondum reperi. Vellem quoque una dixisset, quinam sint illi Pontifices, quibus Virgo tradebatur ab ipso Pontifice Maximo, qui ceperat; nam ut solent, reliqui quoque Interpretes hic altum silent, quod mihi sane eo magis incommodat, quia, cum haec primum legerem, exspectabam potius captam Virgini maximae, quae Vestalibus praesidebat, traditum iri. Quod quia non est, licet coniectura uti. Constat autem, quae lectae captaeque erant, primo sacerdotii sui decennio sacra didicisse, institutasque fuisse ab his virginibus, quibus alterum decennium currebat. Praeterea quoque e compluribus marmoribus antiquis claret, fuisse, qui Pontifices Vestae dicerentur, quorum vix alia reperiri potest interpretatio idonea, nisi

---

[97] *Lib.* 11. *cap.* 15.

haec, ut existimemus, additos fuisse e collegio Pontificum nonnullos Vestalibus, qui praeessent earum institutioni, et unde consilia caperent, si qua evenisset circa sacra et cerimonias dubitatio. His igitur tradita fuisse videtur, quae capta esset. Quo autem momento capta fuit virgo, eodem docemur patria potestate solutam fuisse, quod vel ideo videtur necessario factum, ne quid in Vestae ministerio impedimenti ex ipsa illa paterna potestate gigneretur, quae veteri tempore atrocissima erat. Soluta vero fuit absque emancipatione ipsoque, ut ICti loquuntur, iure, quod et ipsum ratione non caret. Cum enim vel invito patre legi capique posset, nisi iusta obstaret excusatio, inutilis videri debebat emancipatio, quippe quae contingere non potest, nisi voluntate et consensu patris expresso. Adde, per emancipationem, in qua et mancipatio interveniebat et manumissio, servilem causam induci, quae vel maxime abesse a Vestali debebat. Quod autem ita prodidit Gellius, idem quoque tenebamus olim ab Vlpiano [98] et nunc tenemus e Gaio,[99] e quo praeterea didicimus, sacratas has, etiamsi nondum essent viripotentes, tamen ne tunc quidem tutore opus habuisse. Postquam enim narravit, tantum ex L. Julia et Papia Poppaea feminas ex iure trium liberorum, ipsis illa ipsa lege tributo, a tutela immunes factas, qua antea omnes, etiam adultae, adstrictae erant, ita pergit: *loquimur autem exceptis Virginibus Vestae, quas etiam Veteres in honores sacerdotii liberas esse voluerunt, itaque etiam Lege XII Tabb. cau-*

---

[98] *Fragment. X,* 5. tradituque et in *l.* 3. §. *ult. ad SC. Macedon.* ac *l.* 1. §. 4. *quando de pecul. actio annal. est,* sed obscurius.

[99] *Institut.* 1, 130.

tum est. Ita Veronae legitur, procul dubio depravate. Quod sentiens Goeschenius pro honores restituit honorem, ut liberatio haec a tutela perpetua foeminarum ad honorem et observantiam ministerii Vestae facta videretur. A qua sententia si discessionem fecerim, neque puto me fines amicitiae veteris sanctaeque migrasse, neque leges venerationis, quibus, quicunque litteras amant, se obstrictos sentient Gaii sospitatori unico, qui eo publicato, et consumtis in eodem incredibilibus ingenii, doctrinae industriaeque copiis, quousque hae inter mortales aestimabuntur virtutes, nomen suum aeternitati adscripsit. Putem autem a Gaio esse *honore*, atque, quod toties in Mss. fit, adscita e sequente vocabulo littera *s*, factum fuisse *honores*. Quodsi est, hanc habebimus ICti sententiam: Veteres quidem liberas a tutela voluisse Virgines esse, sed non nisi quonsque essent in honore sacerdotii, eo autem soluto, reversas ad proprios lares communi reliquarum feminarum omnium iure censitas fuisse, et nec tutore amplius caruisse. Facit praeterea haec Gaii relatio, ut iam Plutarcho quoque vindicias parare possimus. Is enim ex quo in Numa retulisset, ab ipso hoc rege Virgines tutela immunes factas, a plerisque turpis ἀναχρονισμοῦ postulatus fuit, Numae adscribens, quod demum Lege Julia introductum sit.[100] Ipsum enim concedere ex iure trium liberorum id esse, cuius auctorem sciamus Augustum fuisse, idque adeo aperte Dionem[101] quoque commemorasse. Quid vero illi nunc facerent Gaio, non obscure

[100] Praeivit Lipsius *de Vesta c. XI.* Secuti sunt Schultingius *ad Ulp. XI,* § *ult.* et Eisenhart *de Vestalib. et iure Vestali* § *XX. in Ej. Opsc. p.* 124 *sqq.*

[101] *Histor. LVI,* 10.

idem tradenti, quod Plutarchus tradiderat. Ait enim Veteribus eam praerogativam placuisse, itaque etiam XII Tabb. cautum fuisse, quibus verbis quid aliud indicat, nisi hoc, Decemviros anterius et Numae regium ius repetita sanctione confirmasse. Sed nec Plutarchus, si verum fateri velimus, id ius ab Augusti favore arcessivit. Verba eius haec sunt: *τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν ἱεραῖς παρθένοις, ὧν ἐστι καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ τ' ἄλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διαγούσας, ὥσπερ αἱ τρίπαιδες*, ubi male *προστάτην* auctorem vertunt, cum tutorem debuissent. Nihil autem facere videtur Plutarchus, nisi ut comparet Numae praeceptum cum illo, quo gauderent suo tempore, quae nixae essent iure trium liberorum. Ait: *ὥσπερ αἱ τρίπαιδες*, quod non aliter videtur accipiendum, quam si expressius scripsisset, *ὥσπερ νῦν αἱ τρίπαιδες πράττουσι*, ut adeo tuto carere possimus coniectura Heineccii,[102] qui, ut Numae abiudicaret, *ἀπέδωκαν* scribere iussit, pro *ἀπέδωκεν*. Quod autem Dio refert: *ταῖς ἀειπαρθένοις πανθ' ὅσα περ αἱ* (adde *τρὶς*) *τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο*, id solum demonstrat, Augustum expresse disertisque verbis constituisse, ut Vestales eodem, quo *τρίπαιδες* iure uterentur, quod profecto intererat pronunciare, ne muliercularum solo nomine prolato, Vestalibus abstulisse videretur privilegia, in quorum possessione a cana inde vetustate fuerant.

Praeter illa autem commoda Virginum illud quoque earum discimus, ut et testamentum condere potuerint, quod nec mirum videri debet, cum suae potestatis suique iuris essent factae. Tum demum autem illud recte intellexeris, vereque praerogativam ei iuri

[102] *Comment.* ad *L. P. P.* 11, 2. § *VIII.*

inesse, si reputaveris hanc testamentifactionem licet vel impuberes essent, iis concessam fuisse. Id vero totidem verbis expressit Sozomenus:[103] Οἱ πάλαι, inquit, Ῥωμαῖοι ἀδεῶς διατίθεσθαι τὰς Ἑστιακὰς παρθένους, καὶ ἑξαέτας οὔσας, ἐνομοθέτησαν. Neque quidquam ab illa licentia detractum esse Lege Voconia, utut illa in mulieres esset iniuriarum plena, nunc quoque relatum accepimus[104] restitutis Ciceronis de Republica libris, in quibus, post tot alia Ang. Maii merita, non ultima eius laus cernitur.

VIII.

„De more autem rituque capiundae Virginis litterae „quidem antiquiores non extant, nisi quae capta prima „est, a Numa rege esse captam. Sed Papiam Legem „invenimus, qua cavetur, ut Pontificis Maximi arbitratu „Virgines e populo viginti legantur, sortitioque in con„cione ex eo numero fiat, et cuius Virginis ducta erit, „ut eam Pontifex Maximus capiat, eaque Vestae fiat. „Sed ea sortitio ex Lege Papia non necessaria nunc videri „solet. Nam si quis honesto loco natus adeat Pontificem „Maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, „cuius dumtaxat salvis religionum observationibus ratio „haberi possit, gratia Papiae Legis per Senatum fit."

Originem Vestalium a Numa repetendam esse, et alii dixerunt. Considerare autem volo tirones, quod ita simpliciter efferri poterat,

[103] *Hist. Eccles.* I, 9.

[104] *Lib. III. c.* 10.

qua consectatione verborum, qua obscura diligentia atque ad ostentationem composita oratione idem Noster dixerit. Quod autem sequitur, eo maioris momenti est, quia eorum nihil apud alios relatum habemus, quapropter singula verba ponderare interest, ut earum vim omnem plene percipiamus. Cum enim ex Numae instituto et remotissimo tempore recepti iuris esset, ut, sicubi supplendus esset numerus Vestalium, id fieret solius arbitratu Pontificis Max. quem in rebus sacris summam habuisse potestatem nemo ignorat, Lege Papia lata haec innovatio facta est, ne amplius ab eius voluntate penderet, quam caperet, et, ne in ea re gratiae ambitionive locus relinqueretur, ita subventum est, ut non unam ut antea, sed viginti legeret, utque ex eo numero in concione, quae sit futura Vestalis, sortitione destinaretur. In concione ait, h. e. in Comitiis, quae omnino recte Lipsius, non centuriata, sed curiata fuisse divinavit, quippe in quibns solis, quaecunque ad res sacras pertinerent, tractari solebant. Duo igitur fuerunt Papiae istius Legis capita, alterum, ut ad supplendum deficientis Vestalis numerum a Pontifice viginti de populo legerentur; alterum, ut ex his viginti, sortitione facta, populi suffragio una eligeretur. De *populo* inquit, i. e. de quinque civium classibus, quod est novum et notabile. Nam cum antiquitus quicunque magistratus honoresque omnes, sacri profani, in manu patriciorum essent, neque plebei ad eos accessus pateret, hac demum Lege participes facti sunt sacerdotii Vestae. Quis enim nescit populi vocem omnes omnium civium ordines complecti, ut vel solis plebeiis tribueretur, [105] postquam horum numerus

[105] Testem unum laudabo, Martialem *Epigr. VIII,* 15. ubi ille., *Dat Populus, dat gra-*

in republica autem legis Papiae aetate hactenus omnia incerta sunt. Quam cum plerique olim eandem cum Lege Julia et Papia Poppaea iudicassent, quae ipsa interdum simpliciter Papia appellatur, Pighius[106] quidem eos recte refutavit, antiquioremque esse debere ostendit, ipse autem ad A. V. C. DIV retulit. Sed neque hoc probari posse, multis argumentis evicit Heineccius,[107] planeque aetatis incertae esse statuit. Quod licet universim verum sit, id tamen ausim affirmare, Legem hanc demum post Gabiniam, adeoque post A. V. C. DCXV latam fuisse. Quum enim Gabinia prima fuerit, qua sancitum, ut tabellis populus, non ut ante viva voce in Comitiis uteretur, necessario consequitur, ut illam de Virginibus serius Gabinia latam existimemus. Sortitionis enim vocabulum ipsa illa per tabellas suffragia data satis indicat, unde et didicimus in Fragmento Legis Serviliae sorticularum nomine venire, quas Cicero[108] ceras legitimas alicubi dixit. Satis de tempore istius legis; ad cuius sententiam iam revertimur. Quod enim dixi duobus capitibus eam absolvi, praevideo vix cariturum invidia apud eos, qui et tertium addiderunt, ex his Gellii verbis: *ut, cuius Virginis ducta erit, eam Pontifex Max. capiat, eaque Vestae fiat,* modo ea Gellii sint. At ego quovis pignore certem, nec Gellii esse, nec Legis, sed spuria et interpretationis causa adsuta ideoque prorsus eliminanda. Absunt enim a Codd. excepto uno omnibus, absuntque ab Edd. quoque cunctis ante Stephanum.

———

tus Eques, dat tura Senatus. Quaesita ratione populum opposuit Equitibus ac Senatui, cum salvo metro potuisset dicere, *Dat plebes.*

[106] in *Annal ad a.* 504.

[107] *Comment. ad LL. P. P. Lib.* 1. *c.* 1.

[108] *Divinat. in Caecil. c.* 7.

Excitaverat ea de Buslidiano Cod. primum Jac. Raevardus,[109] foverat deinde Lud. Carrio,[110] interiecerat denique Henr. Stephanus suae editioni, ex qua deinceps hi carbones pro thesauro per reliquas omnes propagati sunt. Quod quam sit male factum, nolo consensum urgere tot membranarum totque editionum, quae istam fimbriam non agnoscunt, etsi hoc in Gellio sit argumentum quantivis ponderis; ipsa verba per se satis ostendunt, quam sint sarcinula molesta. Scilicet hoc expressa lege sanciendum fuit, eam, quae supplendo Vestalium numero a populo electa fuerit, *Vestae fieri*, aut illud alterum, ut, cuius sors ducta fuerit, eam *ut Pontifex caperet?* quasi id non ab antiquo ita factum fuisset, novaque lege indigeret? Certum est,

Nec pueri credent, nisi qui nondum aere lavantur.

Rem autem conficit orationis soloecum et stribligo illa, quam haud malo verbo Sinnium vocasse imparilitatem audio.[111] Cum enim legimus, *et cuius ducta erit,* ecquae est, quaeso, quam ductam putemus? Nimirum praecessit vocula sortitio, et iam habes bonam hanc hercle et probam formulam, sortitionem ducere. Condonemus hoc magistello isti, qui notulam illam Minellianam sibi conscripserat, ut haberet quod pueros doceret, non condonemus neque auctori legis, neque aut Labeoni aut Gellio ex ea referentibus. Atqui, inquis, ne optimi quidem scriptores inconveniente huiusmodi verborum compositura abstinuerunt. Audio, et ipse sic defensionem

---

109 *Varior.* II, 17.

110 *Lection. antiquar. III,* 1.

111 ap. Gell. V, 20.

paro laxis compagibus orationis, sed tum paro, quando nulla alia elabendi rima datur, nisi haec, bonum quoque Homerum quandoque dormire.

Superest de nomine Legis, qua de hactenus actum est, brevis disputatio, quae nulla foret, si, quemadmodum post Stephanum in omnibus libris factum est, tribus illis locis, quibus Legi nomen inditur, idem conspiceretur, videlicet Papiae. Sed in scriptis editisque est ante illam Stephani editionem, quae a. 1585. Parisiis prodiit, atque in iis quidem cunctis, prioribus duobus locis Papiae, tertio autem ultimoque Popiliae, sive Populiae appellatio. Sic enim res sese habet, non quemadmodum Thysius retulit, eumque temere secutus Lionus, priore loco Popiliae esse. Neque tamen ea nominis diversitas obstaculo fuit antiquis Gellii interpretibus, quum iidem postrema verba ita ex suis libris legerent, *gratiá Popiliae legis per se ratum fit,* quibus inducebantur, ut existimarent non de una, sed de binis Legibus sermonem fieri, quarum quae prior fuerit Papia, sortitionem Vestalium invexerit, altera Popilia recentior, per quam rata facta fuerit earundem Virginum spontanea per patrem oblatio.[112] Sed non animadverterunt hanc ipsam lectionem stare omnino non posse. Quid enim, si gratiâ, h. e. indulgentia veniaque Legis Popiliae rata facta est ista oblatio, qui potest dici eandem ratam esse per se? Quae quidem plane ἀσύστατα esse, cum, quod per se ratum est, alterius ope non indigeat,

[112] In qua sententia etiam fuerunt Ant. Augustin. *de LL. et SCt.* et Hotman, *Antiquit. Rom. Lib.* I.

nemo non videt. Subvenit vero et una litterula mutata rem restituit Gellio Jac. Raevardus,[113] ex Buslidiano Cod. legens: *gratia Popiliae legis per Senatum fit,* quod deinde e suis Codd. confirmatum a Lud. Carrione, recepit Stephanus meritoque retinuerunt insequentes editores.[114] Et gratia quidem legis tum fit, quando aliquid de lege remittitur eiusque observatio condonatur.[115] Idem Latinis legibus solvere dicitur, nobis autem nunc, ex usu iuris Canonici, *dispensare* vulgo audit, cuius rei potestas, cum principio apud Populum fuisset, postea ad Senatum pervenit. Ipsa autem illa oblationis surrogatio et a lege antiqua solutio Augusti temporibus inprimis videtur invaluisse, quibus accepimus difficultates obortas fuisse in legendis Vestalibus,[116] nobilibus filias suas lectioni subiicere detrectantibus. Quodsi igitur, quam retuli, vera est Gellii nostri lectio, quod nunc nemo diffitetur, non de diversis, sed de una eademque lege utrovis loco sermonem esse, satis apertum est, eamque aut *Papiam,* aut *Popiliam* dicendam esse. Et Papiae

[113] *Coniectan. lib. III. cap. alt.* Quod Raevardi opusculum, post eius mortem a Jano Lernutio editum, additum quidem fuit eiusd. Opp. quorum tamen in exemplis quamplurimis, nescio quo fato, hodie non reperitur. Recusum postea est Helmstadii 1660, 4, cura *Φιλαρχαίου* cuiusdam, ut titulus praefert; quem Conringium suspicor. Sed et haec Ed. raro occurrit, unde paucis cognitus est hic libellus, bonae quidem frugis, nec tamen accedens ad praestantiam *Variorum* eiusdem Auctoris.

[114] Nullius enim pretii est, quod in Petavianis fuit, *perseveratum fit,* quod et a prima manu fuisse videtur in Hafniensi membrana. Similiter nec probandum *propter,* vel *circa sortitionem fit,* quod in margine libri sui coniecerat olim Petr. Daniel. Is autem liber servatur in bibliotheca Reipubl. Bernensis, una cum duobus aliis exemplaribus, uno Franc. Danielis, altero Bongarsii, quorum quidem coniecturas olim descripsimus, sed, domum reversi, paucas, quae manus pretium facerent, invenimus.

[115] Praeter Carrionem id multis exemplis patefecit Brisson *de V. S.* v. *Gratia.*

[116] In quam rem Vid. Sueton. in *Aug.* c. 31 et *Tacit. Annal.* 11, 86.

quidem nomen praetulit Stephanus eiusque sequaces, fortasse e Gryphianae margine, ubi, ni fallor, primum conspicitur, de coniectura an e membrana aliqua, non habeo dicere, est enim ea editio absque ulla admonitione, ut solent fere Gryphianae esse. Popiliae contra placuit Raevardo, idque adeo placuit, ut vel ad Numam Pompilium Regem quasi auctorem remitteret, cuius opinionis Ant. quoque Augustinum[116*] video fuisse participem. Frustra. Neque enim fieri potuit, ut Numa regnante, quo sub Vestales institutae feruntur, lege iussum sit, primum ut legerentur e populo, deinde ut oblatio voluntaria succederet in locum electionis, atque adeo in eiusmodi electionis, quae sortitione fieret, h. e. tabellis, quarum tabellarum usus seculo demum septimo post Numam invaluit. Illud tamen pro Popilia pugnare aliquantum potest, probabilius esse, ignotae legis nomen in notissimae conversum fuisse, quam versa vice.

[116*] Libro *de LL. et SCtis libro* s. v. *Popilia.*

IX.

„Capi autem Virgo propterea dici videtur, quia Ponti-„ficis Max. manu prehensa, ab eo parente, in cuius manu „est, veluti bello capta, abducitur. In libro primo Fabii „Pictoris, quae verba Pontificem Max. dicere oporteat, „quum Virginem capit, scriptum est. Ea verba haec sunt: „SACERDOTEM. VESTALEM. QUAE. SACRA. FACIAT. QUAE. IOUS. „SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. RO-„MANO. QUIRITIUM. UTEI. QUAE. OPTUMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. „AMATA. CAPIO."

Planissime vim verbi *capere* excussisse videri potest Gellius. Capi enim res hominesque inprimis dicuntur, qui bello legitimo hostibus ita eripiuntur, ut victoris fiant. Itaque Vlpianus:[117] *Aliud,* inquit, *est capere, aliud accipere. Capere cum effectu accipitur, accipere etsi quis non accepit, ut habeat: ideoque non videtur quis capere, quod erit restituturus.* Similiter Gaius:[118] *Non videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.* Vestales autem, quarum in lectione nulla paterni consensus fiebat consideratio, quasi bello captas et mancipia Vestae factas videri volebant, quod confirmatur auctoritate Fabii Pictoris, cuius testimonio etiam alibi[119] utitur Noster. Quem Fabium Pictorem quum eundem esse dicunt vetustissimum Romanorum historicum,

[117] *L.* 71. *D. de V. S.*

[118] *L.* 51. *D. de Reg. iur.*

[119] *Lib. X. cap.* 15.

qui bello Punico secundo vixit cuiusque ab Annalibus praecipue hauserunt et Polybius et Livius et Dionysius Halicarnassensis, nescio an verum deprehenderint. Nam quae ex eo, tum hic, tum infra Noster retulit verba satis ampla, atque adeo, ut cum Plauto loquar, ipsissima, non sunt eiusmodi, ut ad stilum accedere videri possint, quo illum usum fuisse oportet, si illo aevo scripsisse arguatur. Oratio enim licet pressa sit atque demissa, ornatuque careat, nihil tamen habet, quod sordidum sit aut obsoletum. Neque de aerugine Gellius quidquam detersisse videri debet, qui in referendis remotissimorum scriptorum verbis studiosissimus est, quod decebat Grammaticum, et curavit etiam, ne quid deperiret e vetustate sordium. Adde, non videri verosimile, antiquissimum illum Fabium in conscribendis Annalibus populi sui tam enucleate tamque subtiliter et accurate in enotandis formulis solennibus, ritibus atque diversis sacerdotum officiis versatum fuisse, uti factum in his laciniis reperimus. Quare magis est, ut existimem, sumta haec esse de alio Fabio Pictore, serioris temporis scriptore, cui Servio praenomen fuit, non Quinti, quod illius prioris fuit. Is autem non solum a Cicerone[120] *iuris et antiquitatis bene peritus* dicitur, sed et *iuris Pontificii libros* scripsisse a Macrobio[121] perhibetur, ad quorum librorum argumentum vel inprimis facere debebat formularum sacri iuris relatio et divinorum rituum solemniumque studiosa enumeratio. Accedit quod Macrobius, qui hoc Fabio usus est, in plurimis rebus eosdem fontes, quos Gellius, adiit.

---

[120] in *Bruto cap.* 5.

[121] *Saturn. III, c.* 2 *et* 3.

Ad ipsam formulam, quam Fabius tradidit ex ima antiquitate, nihil habeo quod dicam novi. Aliqua tamen adnotabo tironum adolescentiumque causa, qui has litterulas amant, quos paucos fore existimo. Ea enim tempestate vivimus, ut non a pubertate ad adolescentiam, sed ad virilitatem ac probe senium illico processio fiat, et qui olim lanuginem adeptam in ovatione ducerent, nunc sibi una nocte barbam crevisse putent, nec de Grammatica aut Philosophia sibi cogitandum, sed de optimo reipublicae statu perficiendo somniandum. Verum hoc Diis permittendum. Nunc sufficit monuisse, in ista formula duplicem esse lectionem librorum Mss. et editorum, quorum alii exhibent *Populo Romano Quiritibus*, alii *Populo Romano Quiritium*, unus etiam adiecta copula, *Quiritibusque.* Quae varietas dicendi quum et in aliis scriptoribus reperiretur, controversia orta est inter Brissonium et Gronovium, [122] utrius formulae apud Romanos usus fuerit, Brissonio priori, Gronovio alteri palmam porrigente, utroque vero, quidquid iudicio suo contrarium videretur in libris antiquis, corruptelae accensente. Sed verius est, perinde esse, sive dicas *Populus Rom. Quirites*, sive *Populus Rom. Quiritium*, cumque id semper ita docuissem, gavisus tamen sum sententiae huius auctorem me nactum esse amicum desideratissimum, olim inter auditores meos, postea in multis iisque gravissimis rebus magistrum, magnum illum Germaniae suae polyhistorem Niebuhrium, [123] qui, o fata! non annorum numero, non corporis fragi-

---

[122] Illum in Op. *Solemnib. form. P. R. lib.* 1. *cap.* 104. *pag.* 56. hunc. *Obss. IV*, 14.

[123] in *Hist. Rom. T.* 1. *p.* 326 edit. tertiae.

litate, insperata valetudine et incitata moerore ex infelicitate publica ac seculi perversitate concepto, summa imis miscente, in ipso aetatis flore totiusque litterati orbis spe atque congratulatione, infausto leto occubuit. Igitur, quemadmodum Patres Conscripti ex antiquo more ἀσυνθέτως dictum est, ita quoque recte Populus Romanus Quirites h. e. Curetes, dictum fuit. Nec tamen minus recte invaluit illud, Populus Rom. Quiritium, ubi ante Quiritium nemo dubitabit tacito sensu repetere populi vocem. Quod autem hae verborum compositiones in votis precibusque publicis usurpatae sunt, eius rei causa non alia quaerenda est, quam haec, ut conflatis duobus populis Romano atque Quiritium, si quid unius populi nomine precatum votumque fuisset, id ne non pro altero quoque votum precatum Diis videri posset. Quibus ita expositis, vix opus est reprimere audaciam novissimi editoris, qui, cum apud Nostrum alio loco,[123*] consentientibus omnibus libris scriptum haberet Populo Rom. Quiritibus, constantissimam hanc scripturam corrumpere maluit, quam a Gronoviorum partibus abscedere.

Sequitur: *uti quae optima lege fuit,* quibus verbis Pontifex hoc vult, se virginem capere, cui nihil eorum desit, quod in perfecta omnibusque numeris absoluta Vestali requiri possit. *Optima lege* virgo, est, optimae conditionis. Ita *lex* centies est, praesertim in iuris libris. Formulam autem, *optuma lege esse,* in nominandis ad publicos honores candidatis inprimis usurpatam fuisse e Festo[124] notum est. Sed mox e Comitiis in Forum transiit et ad privata

---

[123*] *Lib. X. cap.* 24.

[124] s. v. *Optuma lex.*

quoque negotia, ut tamen tum plerumque cum locutione, *optumo,* aut *optumo maximo iure esse,* commutaretur.[125] Pro fuit autem, sive *fovit,* audiendus omnino est Scaliger rescribens *fuat.* Neque enim Pontifex de ea loqui poterat, quae aliquando optima lege fuisset, sed de illa, quae etiamnum esset. *Fuat* autem casce est pro sit, ab obsoleto verbo fuo, idque a gr. φύω, cuius reliquias adhuc servamus in praeteritis temporibus. Verum haec Lexicorum sunt. Illud mage est, an probanda sit ista cum Evandri matre scribendi ratio, *ious, popolo, utei* et *fouit,* quam Carrio, libris nullis addicentibus, Gellio invexit, et in aliis Veterum locis alii editores suopte ingenio suaque lubentia reduxerunt ex antiquissimis lapidibus, iisque valde diversis temporibus scriptis, ubicunque in solemnem aliquam formulam inciderent. Et puto non posse, nec convenire hanc temeritatem cum officio religiosi editoris. Etsi enim non sit negandum, Scriptores veteres, si quando referunt ex ima antiquitate repetitas formulas, casca etiam earum vocabula et elocutionem, atque obsoletas iam tum formas interdum retinuisse, non tamen idem de orthographia protinus dicendum est, in qua potius sui temporis normam secuti esse videntur, quam remotissimi aevi, qualis est illa in columna Duillii aut etiam in SCto de Bacchanalibus. Idem de notis diacriticis iudico, in quarum usu par optio parque temeritas conspicitur. Quod tamen de omnibus nolo dictum, quas, etsi contra membranarum et vetustatis usum, postrema aetas, maioris

---

[125] Praeter Brissonium, utroque opere iam toties laudato, vid. Chimentellium *de honore bisellii*, *cap.* 39.

perspicuitatis maiorisque sententiarum planitatis causa introduxit, quales sunt quae commata, cola, signa interrogationis et diaereseos et parentheseos appellamus; sed de illis volo dictum, quae post inventam demum typographiam et vergente seculo decimo sexto, nescio cuius ornatus et ostentationis eruditae causa, introductae fuerunt, veluti puncta illa, quae singulis formulae vocabulis h. l. interiecerunt editores, in ipsis autem membranis nusquam reperiuntur. Quae etsi ut merae ineptiae et futiles nugae, tollendae potius quam ferendae sunt, idem tamen nolim improbare litteras illas maiusculas et quadratas, quibus mos est typis inscribere verba solemnia et τυπικὰ, aut si quae aliae sunt in typorum formis diversitates, quanquam haec quoque consuetudo demum post inventam typographiam invaluit et a membranis aliena est. Facit enim, quo magis statim in oculos incurrant, utque lector animum magis advertat ad verba hoc modo insignita et quasi stigmatibus inusta. Velim autem scire, quisnam eius cultus ornamentique princeps fuerit, nam hoc quoque ad litterarum historiam spectat. Ipse enim, quantum nunc memoria succurrit, antiquioris non reminiscor, quam Rob. Stephani, quem editis Paris. 1528 Iuris Institutionibus ea scribendi ratione usum esse memini. Sed in haec altius inquirere nec mea bibliothecula patitur, et est alterius temporis ac loci.

X.

„**Plerique autem capi Virginem solam debere dici putant. „Sed Flamines quoque Diales, item Pontifices et Augures „capi dicebantur. L. Sulla rerum gestarum libro II. ita „scripsit:** ***P. Cornelius, cui primum cognomen Sullae im„positum est, Flamen Dialis captus.*** **M. Cato de Lusi„tanis, quum Ser. Galbam accusavit:** ***Tamen dicunt de„ficere voluisse. Ego me nunc volo ius pontificium optime „scire, iamne ea causa Pontifex capiar? Si volo augurium „optime tenere, ecquis me ob eam rem Augurem capiat?***"

In libro regio Hafniensi integris litteris Sergium exaratum inveni, in editis autem omnibus quos contuli, non nisi Ser. scilicet διὰ σημείων. Illud praeferendum videri poterat, quia gentis nomen est, in quibus vulgo scripturae compendia cessare solent. Nolo tamen instare, quia in hac gente id aliter usu venisse, e marmoribus probari potest, praeterea quoque apud Valerium Probum nota haec: SER. inter legitimas posita est. Neque hoc plane insolens dicas. Nam et apud eundem Probum reperimus AN. pro Annius, FL. pro Flavius, TREB. pro Trebonius et CL. pro Claudius, quibus alia plura iungi facile poterunt, si quis velit aut totum Probum excutere, aut Numorum Inscriptionumque thesauros. Cetera apud Gellium satis sunt pervia, nisi quod in M. Catonis prioribus verbis magna deprehendatur librorum veterum varietas, sed improba fere, et quam facile intelligas ortam fuisse ex illa unice vera, *tamen*

dicunt deficere voluisse, restituta e tribus Codd. et probe explicata, a Lambecio primum, deinde a Gronovio. Dubitavi ergo, an operae pretium facturus sim, referendo quid in membranis Hafniensibus deprehenderim. Feci tamen. Est autem ibi a prima manu, *eum dicit deficere noluisse,* a secunda, *eum dicit ius pontificum discere noluisse,* infartis supra lineam verbis, *ius pontificum.* Quod autem Gronovius ex ora libri Scioppiani retulit: *tamen dicunt deficere noluisse,* idem visum mihi est Guelferbyti, in ora edit. Venetae a 1565, manu Jani Wouwerii ubique notatae. Idem quoque adscriptum est a Fried. Lindenbruchio editioni Coloniensi a. 1533, quod exemplar extat inter ornamenta bibliothecae reipublicae Hamburgensis. Quae annotare libuit in utilitatem eius, qui fortasse in Gellio elaborare velit, cuius ne frustra operam consumat, quod mihi accidit, scire interest, quaecunque in istis Scioppii, Wouwerii et Lindenbruchii libris animadversae sunt variae lectiones, esse eiusmodi, ut ovum non sit similius ovo, appareatque ex uno eodemque codice transcriptas fuisse ad unam omnes. Quisnam vero eum primus contulerit, quive alterius vitulo araverint, non dico. Hoc unum scio, triumviros hos eodem fere tempore vixisse, Romaeque domicilium habuisse atque eadem furtorum litterariorum fama celebres fuisse. Mitto haec. Longa enim fabula foret, si de exemplis Gellii dicere vellem, quae notata passim legimus, et manu doctissimorum hominum, Scaligeri, Fr. Junii, Gruteri, Giphanii, Vossii, Rusii, aliorum, locupletata ornata, quaeque probabile est latere etiamnum in bibliothecis Belgii, Galliae atque Angliae, et tempus est, ad ultima Nostri de Vestalibus verba accedamus.

XI.

„Praeterea in Commentariis Labeonis, quae ad duodecim „tabulas composuit, ita scriptum est: *Virgo Vestalis „neque haeres est cuiquam intestato, neque intestatae quis- „quam: sed bona eius in publicum redigi aiunt. Id quo iure „fiat quaeritur.* Amata inter capiendum a Pontifice „Maximo appellatur, quoniam, quae prima capta est, „hoc fuisse nomine traditum est."

Inconsiderate atque ut Gelliano verbo utar, insubide, Thysius, qui hic commemorantur ad XII Tabb. Commentarii Labeonis, coniicit eosdem esse, qui apud Festum toties laudantur titulo hoc: Antistii Labeonis de iure Pontificio Commentarii. Quid enim commune habent ius pontificale et illud dodecadelti? Impendio autem memorabile est quod de Labeone hic legimus, Vestalem, licet testamentum condere posset, non tamen in ea caussa fuisse, ut ipsa cuiquam ab intestato succederet, aut ipsi intestatae quisquam: cuius praecepti nulla in iuris nostri libris vola est aut vestigium, et altum silentium eorum, qui nostra aetate Romanae iurisprudentiae historiam tot commentariis, partim ornare, partim onerare aggressi sunt. Eius vero in Vestalibus iuris rationem, nisi haec fuit, quia, simul captae erant, patria potestate ipso iure excedebant, eoque iura agnationis et gentilitatis rumpebant, quibus solis antiquo tempore successio ab intestato superstructa erat, ego nunc quidem

video nullam. Quodsi vero haec ita sunt, videborne eruditis hominibus ineptus coniector et somniorum meorum interpres insulsus, si dicam, me aliquando suspicatum fuisse, Vestales e doctrina iuris pontificii, quod iis ante fuerat, amisisse proprium nomen, et communi tantummodo Amatarum in sacris usas fuisse, licet in civili sermone distinctionis gratia gentis nomen retinerent, ut apud Livium,[126] Aemiliae, Liciniae, Marciae? Certe in servis reipublicae, societatum et fanorum factum legimus, ut omni nomine carerent, idque demum liberti facti, ab eo loco, unde manumissi essent, acciperent, et Faventini forte, aut Reatini, aut ab ipsa Vrbe Romani appellarentur, quod Varro adnotavit, sed loco vehementer salebroso.[127]

---

[126] *Epit. libri LXIII.*

[127] *de lingua lat. lib. VIII.* (al. IV.) *extr.* Apposui verba, ut habentur in Scaligeri Edit. insertis, quae aliter sunt, in novissima Cl. Spengelii: ... *alii nomina habent ab oppideis; alii aut non habent, aut non, ut debent, habent. Habent plerique libertini a municipio manumissi, in quo, ut societatum et fanorum servi, non servarunt proportionem et rationem, et Romanorum liberti* (scr. *libertini*) *debuerunt dici, at a Faventia Faventinus, a Reate, Reatinus, sic a Roma Romanus, ut nominantur a libertineis orti publici servi,* (Speng. *publicis servis*) *Romani, qui manumissi, qui antequam sub magistratus nomina, qui eos liberarunt,* (Spengl. *liberarint*) *succedere coeperunt* (Speng. *coeperint*) .... Vehementer vellem Cl. Spengelius sententiam suam de hoc loco, et quae sit Varronis, edixisset. Diu enim est, e quo caeterorum Interpretum, praeter Popmam, silentium, dico quod res est, impatientissime fero, ita mihi haec, prouti scripta sunt, cimmeria nocte obscuriora visa fuerunt, maxime autem illi a *libertinis orti publici servi.* Nec Popma auxilio erat, imo implicabat magis; atque erat paene ut bonum Varronem depontanum et blateronem ac lingulacam indicarem, quum ecce in memoriam revoco mirifice melius haec omnia me olim legere apud Petr. Pithoeum ad *Collat. LL. Mos. et Rom. tit. V.* § 2. idque, ut ipse ait, ex vetustioris scripturae reliquiis. Ibi autem ita verba postrema restituuntur: *ut nominantur libertini a libertis orti, et e publicis servis P. R. qui manumissi antequam sub magistratus nomina* (lego *nomine*) *qui eos liberarunt succedere coeperunt.* Teneamus haec donec meliora afferantur, nam et vel sic res est altioris indaginis et prolixi-

Praeterea virgines nostrae in eo quoque publicis servis quodammodo similes videri possunt, quod in his quoque, quantumvis dimidiae partis bonorum testamenti faciendi ius haberent, ut Vlpianus [128] retulit, necesse tamen fuit, ut omni legitima successione carerent, quippe qui ne patrem quidem ciere poterant. Comparabis quoque Vestales, quod ad legitimas successiones, non inepte cum filiisfamilias, quibus bona sunt castrensia et quasi castrensia. In quibus, cum utantur iure patrisfamilias et scriptum habere possint heredem, si tamen testati non fuerint, et pater supervixerit, legitimum, h. e. intestato heredem non habent. Tum enim pater illud peculium sibi vindicat, nec tamen quasi hereditatem, a filio relictam, sed proprio iure et quasi suam. [129] Est praeterea inter Vestales et servos P. R. baec similitudo, quod nisi testamento facto, harum personarum facultates, quasi bona vacantia et ἀκληρονόμητα, ut Harmenopulo vocantur, in publicum redigebantur. In publicum, inquit Gellius, h. e. in aerarium, qua significatione eadem elocutio apud Livium aliquoties et Suetonium extat, frequentius apud iuris auctores. [130] Quare,

---

oris orationis. Eo tamen lubentius hanc lectionem protuli, quae diligentiam novissimi editoris effugit, quoniam ipsa quoque facit ad collustranda ea, quae supra de libertorum et libertinorum differentiis e Suetonio disputavi.

[128] *Fragm. tit. XX.* § *ult.*

[129] Vlpiani *l. 2. de castreusi pecul.* verba haec sunt: *Si filiusfamilias miles decesserit, si quidem intestatus, bona eius, non quasi hereditas, sed quasi peculium patri deferuntur, si autem testamento facto, hic pro hereditate habetur castrense peculium,* quae clara, licet non bene comta. Idem mox L. 9. ibid. ita: *Cum nihil de peculio decernit filius, non nunc obvenisse patri, sed non esse ab eo profectum creditur,* quae Accursius recte explicat, non videri a patre recessisse. Ita Paulus *L. 3.* § 3. *de reb. cred.* eleganter dicit, pecuniam proficisci, quae mutuo datur, et nisi a domino abeat, mutua dici non potest.

[130] Cf. sis *Liv. IV,* 10; *X,* 23; *XXVI,* 36, nam locus II, 9. ap. Eundem nondum videtur

qui contenderit, qua lege id sancitum, eam caducariarum LL. omnium fuisse antiquissimam, eum non dicam a vero multum aberrasse. Quam enim primam fuisse vulgo iactitant Papiam Poppaeam, Labeonem h. l. putasse dici non potest propter verbum *aiunt*, quo intelligi voluit, id ita a se repertum esse in libris ICtorum, qui aetatem eius praecesserant.

Sequitur: *id quo iure fiat, quaeritur*, quae verba communiter Labeoni adscribuntur: ego, nec Labeonis esse, nec Gellii adeo,

plane expeditus. — Sueton. *Calig.* c. 40. Iuris autem locis, quos Brissonius largiter attulit, nunc quoque Gaii *Inst. IV*, 16 adiungi potest: *alios autem praedes ipse Praetor ab utroque accipiebat sacramenti, quod id in publicum cedebat,* ubi fortasse ICtus scripsit *sacram. noie* i. e. sacramenti nomine. Minus etiam placent illa, *quod id in p. ced.* neque enim aut sacramentum, aut praes inde dicebatur, quia illud aerario cedebat. Ineptum hoc. Fuerit ergo, *quoad*, hac sententia, ut Praetor acceperit praedes, tamdiu obligatos, usque dum in aerarium solveretur sacramentum. Proxime quoqe huc facit, quod Varro de L. L. lib. V. (nunc, VI, § 71) habet: *Itaque praes, qui a magistratu interrogatus, in publicum ut praestet, a quo et cum respondet, dicitur praes.* Ita Scaliger, pro quo nunc e Codd. et antiquis Edd. Spengelius edidit, *dicit praes.* Aliter Scioppius edidit et haud scio an melius: *in publicum an praes est.* Quibus inter se collatis, opinor Varronem scripsisse: *Praes, qui a magistratu interrogatus: In publicum an praes es? a quo, et cum respondet: Praes, dicitur.* Dicit *a quo*, id est, a qua interrogatione, tota enim res ex formula stipulationum est. Confirmat coniecturam meam Festus, cui Varro obversatus fuit: *Praes est, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu: Si praes sit? respondet, praes.* Qua occasione addam alium eiusdem Grammatici locum, s. v. Manceps, mire in Dacerii edit. quae optima dicitur, depravatum: .... *praes dicitur, quia tam debet praestare, quod promisit, quam is, qui pro eo praes factus est.* Manifestarium ulcus. Et tamen iam in edit. Hieron. de Marnef, ad marginem emendatum erat, *quam is, pro quo praes factus est*, quod unice verum est. Praeterea quoque ibi post *praestare* recte inserta est vox *populi*, quam etiam compertam habui in Ms. Festo Monachiensi, quem olim cum Dacerii contuli. Sed Varronis locum etiam Salmasius, *de Modo usurar. cap. XVI* aggressus est ita, emendare: ... *interrogatus, fidem publico ut praestet* .... satis quidem licenter. Adnotare tamen libuit, ut industriae Spengelii nonnihil accederet.

sed scioli cuiusdam, propemodum est ut credam. Quid enim potest alienius esse ab ingenio et doctrina tanti ICti, qualis Labeo fuit, quam dubitare, quorsum perveniat hereditas, quae nec testatum, neque intestatum habeat heredem? aut ab indole Gellii, qui non solet incertum lectorem dimittere, aut suam ipsius animi fluctuationem fovere, ubi in promptu erat ICtos in foro obambulantes consulere? quod eum in pari causa fecisse, non unus Noctium locus evincit. Denique ea est Gellii Codd. fortuna inclinata, ut emblematibus librariorum prae aliis scateant, quorum plurima quidem a viris doctis detrita dudum sunt et eiecta, alia vero supersunt, quae adhuc futuri editoris ingenium et diligentiam exposcunt.

Denique refert Noster, quam caperet virginem Pontifex eam, inter capiendum Amatae nomine compellatam fuisse, quia, quae prima capta fuit, eo nomine fuisse traditum sit. Quae narratio ex eo nonnihil difficultatis habet, quoniam Plutarchus refert, non unam, sed quatuor a Numa captas fuisse, earumque adeo nomina prodidit, inter quae illud Amatae non conspicitur. Quae diversitas in tanta remotissimarum historiarum obscuritate inque tanta documentorum inopia, eiusmodi est, ut nunc quidem non amplius in cognitionem cadere posse videatur.

Et haec quidem hactenus. Iam enim ad animum revocandum est, cuius causa haec praefati sumus. Agitur autem id, ut Natales Regis nostri Augustissimi

FRIDERICI VI

PII CONSTANTIS
ORBIS SUI NATIONUM
LIBERATORIS MUNIFICI

pia gratulatione constantique prece, inter vota civium communia, nostra quoque haec Universitas litteraria publice prosequatur. Quod fiet non ex more tantum et solemni ritu, sed ex libera quoque et fida animi sententia, ipso die festo, qui est XXVIII huius anni mensisque, hora consueta, locoque solito, verba praeeunte, qui apud nos arti oratoriae litterisque antiquis praeest. Ad quam orationem uti frequentes ovantesque adsint, quicunque Mivervae sacris operantur, nomine patrum Academiae, qua par est fierique potest, observantia, humanitate, religiositate, iterum iterumques solemniter obsecramur, invitamus, evocamus.

P. P. Kiliae d. XXVII. Januarii MDCCCXXXII.

INDICULUS

SCRIPTORUM ILLUSTRATORUM ET EMENDATORUM.